

UC-NRLF
$B 267 165


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBRI SEX.

RECOGNOVIT

IACOBUS BERNAYSIUS.



LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXI.

PRAEFATIO.

In recognoscendo Lucretiano carmine eam persequutus sum viam, quam olim significavi in commentatione *de emendatione Lucretii* Novi Musei Rhenani volumini V, 533 inserta. Prope eandem viam cum Lachmannus teneret in recensione sua, cuius virtutes laudare velle ambitiosum foret: tamen evenit ut ab aliquot recedendum mihi esset Lachmannianis scripturis. In quo nihil me indulsisse libidini seorsum a tali viro sentiendi ex ipsis, ut spero, rebus in quibus cernitur dissensus quivis candidus harumque rerum peritus iudex intelliget. Nihilominus aegerrime fero quod per leges, quas huic praefandi negotio bibliopola imposuit, omnium mutationum quas institui rationem reddere nunc quidem nequaquam licet. Donec igitur ampliore dicendi loco, qui mihi alibi paratur, uti licebit, eo redactus sum ut, quoad huius spatii fines patiantur, generatim et strictim pauca quaedam complectar.

Ac primum quidem saepius quam Lachmannus fecit graviores corruptelas a prava *vicinorum vocabulorum iteratione* repetivi. Quod mendorum genus quam facile vel peritissimum fallere possit, nullo patefit exemplo luculentiore quam illud est quod praebent versus 562, 563 libri VI. Hi sic scribuntur in Quadrato codice:

> 562 Ad caelumq. magıſ quanto ſunt edıtaqueq.
> 563 Inclinata mınent ın eadem ꝓdıt partē aqueq.

quicum consentit Oblongus codex nisi quod versiculi 562 clausulam sic scriptam exhibet: *aedıta queq.* versiculi autem 563 clausulam sic: *prodıt partem. a. a. q. q.* cum rasuris infra puncta, quae post utrumque q̄ cernuntur. Iam sic duobus illis versibus sub uno conspectu positis, quivis, puto, semel admonitus concedet, Quadrati *aqueq.* in versu 563 nil esse nisi pravam iterationem earum litterarum, quae priorem versum 562 claudunt: edıt*aqueq.* Neque aliorsum spectant *a. a. q; q;* Oblongi codicis. Alterum enim ā inde pervenit in hunc codicem,

PRAEFATIO.

In recognoscendo Lucretiano carmine eam persequutus sum viam, quam olim significavi in commentatione *de emendatione Lucretii* Novi Musei Rhenani volumini V, 533 inserta. Prope eandem viam cum Lachmannus teneret in recensione sua, cuius virtutes laudare velle ambitiosum foret: tamen evenit ut ab aliquot recedendum mihi esset Lachmannianis scripturis. In quo nihil me indulsisse libidini seorsum a tali viro sentiendi ex ipsis, ut spero, rebus in quibus cernitur dissensus quivis candidus harumque rerum peritus iudex intelliget. Nihilominus aegerrime fero quod per leges, quas huic praefandi negotio bibliopola imposuit, omnium mutationum quas institui rationem reddere nunc quidem nequaquam licet. Donec igitur ampliore dicendi loco, qui mihi alibi paratur, uti licebit, eo redactus sum ut, quoad huius spatii fines patiantur, generatim et strictim pauca quaedam complectar.

Ac primum quidem saepius quam Lachmannus fecit graviores corruptelas a prava *vicinorum vocabulorum iteratione* repetivi. Quod mendorum genus quam facile vel peritissimum fallere possit, nullo patefit exemplo luculentiore quam illud est quod praebent versus 562, 563 libri VI. Hi sic scribuntur in Quadrato codice:

562 Ad caelumq. magıſ quanTo ſunT edıTaqueq.
563 Inclinata mınenT ın eadem ꝓdıT parTē aqueq.

quicum consentit Oblongus codex nisi quod versiculi 562 clausulam sic scriptam exhibet: *aedıTa queq.* versiculi autem 563 clausulam sic: *prodıT parTem. a. a. q. q.* cum rasuris infra puncta, quae post utrumque q̄ cernuntur. Iam sic duobus illis versibus sub uno conspectu positis, quivis, puto, semel admonitus concedet, Quadrati *aqueq.* in versu 563 nil esse nisi pravam iterationem earum litterarum, quae priorem versum 562 claudunt: edıT*aqueq.* Neque aliorsum spectant *a. a. q; q;* Oblongi codicis. Alterum enim ā inde pervenit in hunc codicem,

quod qui eum exaravit in exemplari suo ā litteram supra *prodit* scriptam repperit, ubi re vera etiamnunc a correctore ascripta exstat in Quadrato, ut, quod sententia postulat, efficiatur *prodita*. Id vero quid sibi vellet cum non intelligeret librarius Oblongi, reiecit ā illud ad reliquas singulares litteras in finem versiculi. Hanc igitur originem huius rei cum Lachmannus non perspiceret, atque secundum morem suum inferiores partes Quadrato tribuens a portentosiore Oblongi scriptura proficisceretur, in ipso autem Oblongo non *prodita* exstare sed *prodit* parum memorabile existimaret: eo pervenit ut haec annotaret ad versum 563: 'INCLINATA MINENT IN EADEM PRODITA PARTEM. A. A. Q. Q. Quadratus *prodit partem aqueq.*, ut appareat librarium illa *a. a. q. q.* non intellexisse ..... neque ego quid per ea significetur exputare possum ..... neque vero, siquis hic notae alicuius Probianae vestigium remansisse suspicetur, ad versum ipsum emendandum mihi quicquam proficere videbitur.' Unde qui virum paucissimorum verborum cognoverint haud immerito concludent, ne ipsum quidem a Probiana nota ibi suspicanda alienum fuisse, ubi potius prava iteratio agnoscenda erat iam in archetypo nostrorum codicum admissa. — Idem vero librariorum error, qui in hoc loco ab ipsa versus mensura redarguitur, per locum autem *παράλληλον* (V, 421) corrigitur in versu 1023 libri primi, solius sententiae ope indagari potest in multorum aliorum versuum clausulis. Quod fecimus e sententia Lachmanni cum alibi II, 422, 467 [cf. Nov. Mus. Rhen. V p. 573], 630; V, 468; VI, 15 tum IV, 987 ubi *saepe quiete* per librarios perperam ex versu qui post eum est proximus illatum ita expulit Lucretianam clausulam, ut coniiciendo recuperari nequeat. Atque adeo in versu 491 libri IV. dubitari potest utrum *necessest* ex versu post eum secundo 493 an ex tertio ante eum 488 irrepsisse dicas. Huiuscemodi autem peccatum librariorum etiam VI, 1010 persentiscere mihi videor in vocabulis *ex elementis*, in quorum explicatione ipse sibi non satisfecisse videtur Lachmannus. Confitetur certe adesse ibi 'concisum quoddam dicendi genus cuius simile exemplum non possit promere.' Quare, donec tale exemplum inventum erit, satius fuerit idem in his vocabulis factum putare quod totiens alibi accidisse vidimus; praeter rem, nimirum,

iterata sunt ex clausula versiculi **1007**: *primoribus ex elementis*. Neque habeo cur talem librariorum negligentiam in solis clausulis grassari dicam, cum eandem peccandi occasionem reliquae quoque versiculorum regiones praebeant. Velut, cum libri VI versus **509, 510** sic scribantur:

509 confertae nubes *uiuenti* mittere certant
510 dupliciter nam *ufuenti* contrudit et ipsa

magis videtur simile esse veri, aberrasse oculos librariorum, dum priorem versum **509** scribunt, in eandem posterioris versus **510** regionem, quam a Lucretio in versu **509** id vocabulum scriptum esse, quod ex apicibus litterarum *uiuenti* Creechius et Lachmannus eruerunt: *umentia*, quod quidem parum commendabile est a laude simplicitatis, quam in Lucretio conspicuam esse totiens merito praedicavit Lachmannus. — Porro cum versus **893, 894** libri IV ita legantur in codicibus:

893 corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus
894 corporis ut*ac* navis velis ventoque feratur.

profecto minus audacter is egerit, qui *corporis* in posterioris versus initium ex initio superioris delatum atque sic Lucretianam orationem, cuius vestigia in vocabulis *ut ac* supersint, periisse existimaverit, quam qui *ac* illud cum Mureto et Lachmanno funditus deleverit. — Atque haec quidem huius generis exempla satis sunto.

Pergimus ad alterum corruptelarum genus, quod versatur *in insiticiis et vocabulis et versiculis*. Hoc quoque genus aliquanto latius patere puto, quam id persequi voluit Lachmannus, qui quidem aegerrime eo adduci potuisse videtur, ut singulorum vocabulorum glossemata Lucretianis versibus intermixta esse crederet, quamquam et ab antiquis grammaticis annotatum explicatumque esse Lucretii carmen inter omnes constat et recentiorum interpretamenta admodum vilia etiamnunc cernere licet priori libri primi parti ascripta in Oblongo codice. Atque ipse Lachmannus, etsi hoc genus alias repudiavit, nostrorum codicum *tollere* **I, 66** eiecit, quia a Lucretio scriptum esse *tendere* testatur Nonius, neque in versus **674, 787** libri III pro rariore adverbio *longiter*, quod legit Nonius, venire potuit *longius* aliunde quam ex glossemate. Itaque eiusmodi quid etiam VI, **1133** accidisse ut per interpretamentum *corruptum* extruderetur genui-

num vocabulum *alienum* una cum Bentleio censere malui, quam litterarum ductibus partim inhaerescens partim insultans *corumptum* dicere ex *coortum* depravatum esse. Similiter egi cum VI, 45

et quaecumque in eo fiunt *fieri*que necessest
pleraque dissolvi

ubi cum Lachmannus *fierique* mutaret in *fateare*, lenius visum est sic versari ut *fieri* e glossemate ortum, a Lucretio autem scriptum esse putetur *possuntque* cum eadem orationis brevitate, qua utitur V, 527:

sed quid *possit fiatque* per omne
in variis mundis varia ratione creatis,
id doceo.

Neque in minutorum vocabulorum additamentis substitit interpolatio. Verum cum sat magnus Lucretianorum versuum numerus a lectore quodam marginibus comparandi causa ascriptus fuisset, abierunt postea isti versus alienis locis in Lucretianorum verborum ordinem (Nov. Mus. Rh. V, 574). Deinde vero vel idem lector vel alius quis ne a versibus quidem de suo faciendis temperavit partim ut explicaret Lucretium partim ut irrideret. Huius temeritatis exempla, quae quidem ipse agnovit, ex oratione Lucretiana eiecit Lachmannus unaque composuit in indice s. v. *interpolator carminis Lucr.* Reliquit vero alia, quae eandem originem non minus aperte prae se ferunt. Ut hoc utar, propugnatores *μετεμψυχώσεως* eo compulerat Lucretius libro III, ut nunquam in bestiarum corpora abire dicerent humanas animas sed semper in sola corpora humana:

758 sin animas hominum dicent in *corpora semper*
ire humana, tamen quaeram cur e sapienti
stulta queat fieri nec prudens sit puer ullus

Cum tali quaestione quis ferat coniungi id quod continetur eo versu, quem superioribus Lachmannus una cum reliquis omnibus editoribus subiecit:

762 nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis

ubi prorsus contra hypothesin equinae animae irrepunt in societatem humanarum. Vel solo ratiocinandi auxilio facetias scilicet interpolatoris perspiceremus, qui Lucretianam quaestionem, quae ad homines pertinet, soluturus est exemplo repetito

a bestiis. Plane eadem cum importunitate idem nugator paulo supra cum Lucretius quaesivisset

> 739 Denique cur acris violentia triste leonum
> seminium sequitur, volpes dolus et fuga cervos

ascripsit responsum

> 741 a patribus datur et patrius pavor incitat artus

ubi et 'doctus quidam' apud Lambinum interpolationem et Lachmannus irridendi studium agnovit ex solo sententiarum connexu. In eo autem loco, de quo agimus (III, 758—62), accedit interpolationis indicium a scripturis codicum. Neque enim in codicibus idem fit quod in editionibus ut post versum 760 *stulta queat fieri* statim sequatur is cuius initium est *nec tam doctus*, sed interiicitur alius sic quidem:

> 760 stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus,
> si non, certa suo quia semine seminioque
> 762 nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis.

Iste medius versus iteratur ex vs. 744 huius libri tertii, ubi pergit Lucretius sic:

> 744 si non, certa suo quia semine seminioque
> 745 vis animi pariter crescit cum corpore toto?

iam talis iteratio a nullo institui potuit nisi ab interpolatore, qui quidem eo consilio illuc respicere iussit lectores, ut ipsum sibi contradicere ostenderet Lucretium. Supra enim (744, 745) quia vim animi pariter cum corpore crescere statuit poëta, hic (760) cur puer nullus sit prudens interrogari non debuisse opinatus est interpolator. (Similis ratio versuum 646—651 libri secundi iterationem post I, 43 progenuit; vid. Nov. Mus. Rh. V, 576.) Ex eadem igitur officina, ex qua iteratio illa, prodiit etiam versus iste *nec tam doctus*, quo logicas ineptias suas scurrili irrisione cumulavit versificator. — Eandem autem malam manum deprehendere nobis videmur in talibus versibus quales leguntur III, 683; IV, 793; V, 312, qui, nisi codicum scripturas violenter mutaveris, non poterunt Lucretianorum verborum tenori adaptari. Contra aut nihil aut levissima mutanda sunt, ut vel irrisio vel explicatio interpolatoris appareat.

Duo haec corruptelarum genera ultra fines, quos eis constituit Lachmannus, pertinere putavimus. Contrarium accidit in eo genere, ad quod iam transimus quodque continetur *versuum*

transpositione. Aliquoties enim ubi Lachmannus a codicum ordine recedit, nos ordinem illum servavimus vel sine ulla vel cum minima verborum mutatione. Utriusque rei exempla expromam e primo libro. Ibi inde a versu 565 hic est codicum ordo:

565 huc accedit uti, solidissima materiai
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores,
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
admixtum quoniam semel est in rebus inane

Ibi v. 568 deleri voluit 'Bentleius iuvenis'; Lachmannus autem, cui post 567 'sententiam interrumpere' visus est, collocavit eum post 585, ubi si minus molestus, certe neutiquam necessarius videri potest. Verum ne post 567 quidem molestiam affert ullam, dummodo *reddi* v. 566 eo significatu accipiatur, quo dicitur II. 178, 179 = V, 196, 197

hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus *reddere* multis.

Illic enim procul dubio *reddere* idem valet quod *rationem reddere, probare*. Eodem modo si in hoc, de quo agimus, loco dicitur *reddi*, aptissime versus 568 coniungitur cum versu 567 sic: si solida sunt primordia rerum, omnes res, quae molles fiunt, possint probari atque ostendi quo pacto ex solidis primordiis fiant molles, quia admixtum est rebus inane. Contra

si mollia sint primordia rerum
571 unde queant validi silices ferrumque creari
non poterit *ratio reddi*.

Horum igitur versuum tralaticium ordinem sine ulla verborum mutatione tutati sumus. In altero eiusdem primi libri loco ut transponendi opera supersedeamus, recedendum quidem est a nostrorum codicum scriptura, neque tamen ad coniecturas confugiendum, sed alia auctoritas sequenda nostris codicibus haudquaquam deterior. Etenim inde a versu 805 sic exstat in codicibus:

805 et nisi tempestas indulget tempore fausto
imbribus *et* tabe nimborum arbusta vacillent
solque sua pro parte fovet tribuitque calorem
crescere non possint fruges arbusta animantis

In hoc versuum ordine cum v. 806 coniunctivus modus *vacillent*

non habeat quo referatur, totum locum transponendo, mutando, distinguendo administravit Lachmannus sic:

805 et nisi tempestas indulget tempore fausto
807 solque sua pro parte fovet tribuitque calorem,
806 imbribus et tabe nimborum ambusta vacillent,
808 crescere non possint fruges arbusta animantis.

Itaque ante versum 806 collocavit versum 807, atque in extremo huius 807 versiculi vocabulo *calorem* finiri protasin statuit, apodoseos autem priorem partem contineri in versu 806 et huic priori parti ἀσυνδέτως addi alteram in versu 808. Deinde vero v. 806 *ar busta* mutavit in *am busta*, atque *imbribus et tabe nimborum am busta vacillent* explicari voluit sic: 'omnia imbrium *frigore* ambusta vacillent atque nutent', allatis aliorum scriptorum locis tribus, quorum unum suppeditavit Valerius Flaccus qui IV, 70 *saevis ambusta pruinis Lumina* (oculos) Promethei dixit; reliqui duo loci reperiuntur apud Columellam XI, 3, 13 *brumae frigoribus et pruinis inurenda*, X, 74 *quae canis iaceant urenda pruinis*. At ut *frigore* amburi et latine et in quavis lingua recte dici possit, ut ab hac locutione profecti tales scriptores quales sunt Valerius Flaccus et Columella etiam *pruinis* amburi dicere possint, cum in pruinis frigoris notio penitus inhaerescat: tamen ne ullum quidem vestigium sive frigoris sive pruinae reperitur in versu Lucretiano. Dixissit Lucretius secundum Lachmanni scripturam *imbribus* ambusta. Atque huiusmodi quid neque a Lucretio neque ab ullo casto scriptore dici potuisse mihi quidem persuasum est. Quare relicta Lachmanniana ratione experiamur, utrum codicum ordo retineri possit, si a Prisciano p. 768 accipiamus *imbribus ut tabe nimborum arbusta vacillent* atque sic distinguamus ut *imbribus* v. 806 pendeat ab *indulget* v. 805. Quo facto talis exstitit oratio:

805 et nisi tempestas indulget tempore fausto
imbribus, *ut* tabe nimborum arbusta vacillent,
solque sua pro parte fovet tribuitque calorem,
crescere non possint fruges arbusta animantis.

Iam protasis pertinet usque ad *calorem* v. 807, in eaque primum dicitur de imbribus, qui tempore verno fiunt. Eis ita agitantur frutices et arbusta, *ut* huc atque illuc nutent perculsa *tabe nimborum* i. e. nubibus tabescentibus in pluviam, sicut Lucanus X, 224 *tabem nivis* dixit liquefactas nives. His imbribus etiam solis

calores accedere necesse est (v. 807). Alioquin (v. 808) crescere nequeunt et fruges arbustaque et animalia, quorum pabula sunt fruges.

In his igitur atque in aliquot aliis exemplis cum a codicum ordine contra Lachmanni transpositiones steterimus, rarissime contrarium accidit ut transpositio visa sit Lachmannianae verborum mutationi praestare. Velut inde a versu 197 libri quarti leguntur haec:

praeterea si quae penitus corpuscula rerum
ex altoque foras mittuntur, solis uti lux
ac vapor, haec puncto cernuntur lapsa diei
per totum caeli spatium diffundere sese
perque volare mare ac terras caelumque rigare.

Ubi 'foedum nec ferendum vitium' adesse vidit Lachmannus in v. 201 caelum*que rigare*, quod post v. 200 caeli *spatium* inepte *ταὐτολογεῖ*, quamquam coniungi vocabula *caelum rigare* non magis hic offensioni est quam V, 593 *caelumque rigando.* 'Delevit' igitur vitium istud 'scribendo circum*que rigare* id est undique.' Illam mutationem ne admittamus prohibemur argumenti conclusione, quae haec est:

cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,
quod superest, ubi tam volucri levitate feruntur,
quone vides citius debere et longius ire
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant lumina caelum.

Ibi enim v. 206 *solis pervolgant lumina* caelum sic respicit ad solum v. 200 ut nulla praecessisse videatur maris ac terrarum mentio, qualis fit in versu 201. Quare illum versum 201 non eo loco, ubi nunc in codicibus legitur, a poëta positum esse existimamus, praesertim cum etiam in proximis versibus verum ordinem turbaverint librarii (v. Lachm. in v. 195). Illuc autem eum traiecimus ubi ne litterula quidem mutata ab omni *ταὐτολογίας* culpa vacat post v. 186:

in quo iam genere est solis lux et vapor eius
propterea quia sunt e primis facta minutis,
quae quasi cuduntur perque aëris intervallum
non dubitant transire sequenti concita plaga
201 perque volare mare ac terras caelumque rigare.

Atque haec quidem hactenus dicta sunto de singulis corruptelarum generibus. Praeterea breviter hoc loco perstringere per-

velim par difficillimum versuum, quod quia variis simul corruptelarum generibus pessumdatum est, non aeque atque alibi sperare possum fore ut vel me tacente ratio emendandi patescat. Scribuntur isti versus, qui sunt 42, 43 libri secundi, rubris litteris uncialibus in Oblongo codice, desunt in Quadrato tribus versiculis vacantibus, ut fere semper (v. Mus. Rhen. p. 543) fit in hoc codice ubicunque in Oblongo rubrae litterae reperiuntur. In Oblongo igitur exstant haec:

SUBSIDIIS MAGNIS EPICURI CONSTABILITAS
ORNATAS ARMIS ITASTẠṬUASTARITERQ: ANIMATAS

punctis sub AT a prima manu factis. Hos versus cum priores editores fere omnes de emendatione desperantes eiecerint, Lachmannus in verborum ordinem admisit sic quidem scriptos:

si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas, belli simulacra cientis,
subsidiis magnis*que elephantis* constabilitas,
ornatas armis, *validas*, pariterque animatas

Lachmannus inde proficiscitur quod Lucretius V, 1225 scripsit: *Induperatorem classis super aequora verrit Cum* v a l i d i s *pariter legionibus atque* e l e p h a n t i s. Unde apparere dixit etiam hoc loco pro EPICURI scribendum esse *elephantis*, pro ITASTẠṬUAS autem *validas*. Sane haec emendandi ratio licet nil habeat cur nequeat ferri, tamen neque a sententia neque a ductibus litterarum ita comparata est ut supervacaneum sit anquirere aliam. Quod sic instituimus ut primum quidem in EPICURI glossema agnosceremus ab initio ad *subsidiis* v. 42 ascriptum; *ἔπικουροι* enim Graecis eidem sunt qui Latinis copiae auxiliares. Id glossema ad Gargettii philosophi nomen trahebatur ab imperitis librariis eoque facilius immiscebatur versui 42. In hunc autem versum cum inferciretur, e loco suo, qui erat versus 42, detrusit in eandem alterius 43 versiculi regionem id vocabulum, cuius nunc hae supersunt mendosae litterae: ITASTẠṬUAS. Quibus corrigendis id adhibendum est quod in codicibus Lucretianis fieri observavi ut litterae H et IT inter se permutentur. Sic IV, 820 pro eo quod esse debet et in Oblongo etiam est *in his* scribitur in Quadrato *initis*; neque aliunde I, 721 in locum simplicis *Italiae* pervenit *Haeliae*, quod 'putidae eruditionis' specie tamdiu editores fefellit; denique huc redit praeclara

emendatio Lachmanni, qui II, 515 codicum *hiemisque* correxit in *iter usque*. Ex huiusmodi igitur mendo si priores duae litterae in ITASTATUAS ortae sunt, facile inde id vocabulum elicitur, quod in versum 42 asciscimus sic: *subsidiis magnis* hastatis *constabilitas*. Iam vero mancus evasit alter versus 43. Eum vix aptius puto suppleri posse quam idem vocabulum etiam post *armis* ponendo quod cum *animatas* coniunxit Lucretius: *ornatas armis* pariter *pariterque animatas*, quo legiones non minus animo quam armis pares esse dicuntur.

Restat ut indicem signorum, quibus usus sum, significationes. Ac primum quidem

[ ] uncis includuntur omnia, quae interpolator (vid. supra p. VI.) vel alienis locis iteravit vel ipse confecit. Deinde

|| lineolis in initiis et in finibus notantur eae particulae, quas scripsit quidem Lucretius sed seiunctim a carminis continuitate in singularibus schedulis consignavit. Eas Q. Cicero, qui post poëtae mortem carmen Lucretianum edidit, ibi collocavit quo pertinere videbantur, neque tamen effugere potuit quin interrumpi aequabilem carminis tenorem talis lector sentiat qualis fuit Lachmannus, qui quidem in istis particulis segregandis ita versatus est, ut nesciamus utrum sagacitatem magis admiremur an temperantiam. Denique

ea vocabula, quae non exstant in codicibus sed vel a superioribus editoribus vel a Lachmanno vel a me excogitata sunt ad explendas versiculorum mensuras, *cursivo*, quod vocatur, *litterarum genere* exprimenda curavi, ne amplius lexicographos grammaticosve fallant.

Praeterea cum IV, 1122 codicum scripturam *alidensia* nemodum explicaverit, Lachmanniani autem inventi *ἀλιδεύσια* ne Graecum quidem exemplum ullum inveniatur, satius visum est codicum scripturam *alidensia* exhibere nota † apposita.

Scr. Bonnae m. Martio a. MDCCCLII.

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER PRIMUS.

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis.
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum.
nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura favoni,
aëriae primum volucres te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
et rapidos tranant amnis: ita capta lepore
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
denique per maria ac montis fluviosque rapacis
frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
efficis ut cupide generatim saecla propagent.
quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,
te sociam studeo scribendis versibus esse,
quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
omnibus ornatum voluisti excellere rebus.

quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.
effice ut interea fera moenera militiai
per maria ac terras omnis sopita quiescant:
nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors
armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
reicit aeterno devictus vulnere amoris,
atque ita suspiciens, tereti cervice reposta,
pascit amore avidos, inhians in te, dea, visus,
eque tuo pendet resupini spiritus ore.
hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto
circum fusa super, suavis ex ore loquellas
funde petens placidam Romanis, incluta, pacem:
nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
possumus aequo animo nec Memmi clara propago
talibus in rebus communi desse saluti.
[omnis enim per se divum natura necessest
immortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe
nam privata dolore omni privata periclis
ipsa suis pollens opibus nihil indiga nostri
nec bene promeritis capitur nec tangitur ira]

*

quod super est, vacuas auris animumque sagacem
semotum a curis adhibe veram ad rationem;
ne mea dona tibi studio disposta fideli,
intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
nam tibi de summa caeli ratione deumque
disserere incipiam, et rerum primordia pandam,
unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
quove eadem rursum natura perempta resolvat;
quae nos materiem et genitalia corpora rebus
reddunda in ratione vocare et semina rerum
appellare suëmus et haec eadem usurpare
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
Humana ante oculos foede cum vita iaceret

in terris oppressa gravi sub religione.
quae caput a caeli regionibus ostendebat
horribili super aspectu mortalibus instans,
primum Graius homo mortalis tendere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra;
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
inritat animi virtutem, effringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque;
unde refert nobis victor quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.

Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
inpia te rationis inire elementa viamque
indugredi sceleris. quod contra saepius illa
religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
Iphianassai turparunt sanguine foede
ductores Danaum delecti, prima virorum.
cui simul infula virgineos circum data comptus
ex utraque pari malarum parte profusast,
et maestum simul ante aras adstare parentem
sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
aspectuque suo lacrimas effundere civis,
muta metu terram genibus summissa petebat:
nec miserae prodesse in tali tempore quibat
quod patrio princeps donarat nomine regem:
nam sublata virum manibus tremibundaque ad aras
deductast, non ut sollemni more sacrorum
perfecto posset claro comitari Hymenaeo,
sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
hostia concideret mactatu maesta parentis,
exitus ut classi felix faustusque daretur.

tantum religio potuit suadere malorum.
Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
terriloquis victus dictis desciscere quaeres.
quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt
somnia, quae vitae rationes vertere possint
fortunasque tuas omnis turbare timore!
et merito: nam si certam finem esse viderent
aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
religionibus atque minis obsistere vatum:
nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
aeternas quoniam poenas in morte timendumst.
ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,
an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
per gentis Italas hominum quae clara clueret;
etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus edens,
quo neque permaneant animae neque corpora nostra,
sed quaedam simulacra modis pallentia miris;
unde sibi exortam semper florentis Homeri
commemorat speciem lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis.
qua propter bene cum superis de rebus habenda
nobis est ratio, solis lunaeque meatus
qua fiant ratione, et qua vi quaeque gerantur
in terris, tum cum primis ratione sagaci
unde anima atque animi constet natura videndum,
et quae res nobis vigilantibus obvia mentes
terrificet morbo adfectis somnoque sepultis,
cernere uti videamur eos audireque coram,
morte obita quorum tellus amplectitur ossa.
Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum

propter egestatem linguae et rerum novitatem:
sed tua me virtus tamen et sperata voluptas
suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
suadet et inducit noctes vigilare serenas,
quaerentem dictis quibus et quo carmine demum
clara tuae possim praepandere lumina menti,
res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.
principium cuius hinc nobis exordia sumet,
nullam rem e nilo gigni divinitus umquam.
quippe ita formido mortalis continet omnis,
quod multa in terris fieri caeloque tuentur,
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.
quas ob res ubi viderimus nil posse creari
de nilo, tum quod sequimur iam rectius inde
perspiciemus, et unde queat res quaeque creari
et quo quaeque modo fiant opera sine divom.
Nam si de nilo fierent, ex omnibu' rebus
omne genus nasci posset, nil semine egeret.
e mare primum homines, e terra posset oriri
squamigerum genus et volucres erumpere caelo:
armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum,
incerto partu culta ac deserta tenerent:
nec fructus idem arboribus constare solerent,
sed mutarentur, ferre omnes omnia possent.
quippe, ubi non essent genitalia corpora cuique,
qui posset mater rebus consistere certa?
at nunc seminibus quia certis quaeque creantur,
inde enascitur atque oras in luminis exit,
materies ubi inest cuiusque et corpora prima:
atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
quod certis in rebus inest secreta facultas.
praeterea cur vere rosam, frumenta calore,
vites autumno fundi suadente videmus,
si non, certa suo quia tempore semina rerum

cum confluxerunt, patefit quod cumque creatur,
dum tempestates adsunt et vivida tellus
tuto res teneras effert in luminis oras?
quod si de nilo fierent, subito exorerentur
incerto spatio atque alienis partibus anni;
quippe ubi nulla forent primordia, quae genitali
concilio possent arceri tempore iniquo.
nec porro augendis rebus spatio foret usus,
seminis ad coitum, si e nilo crescere possent
nam fierent iuvenes subito ex infantibu' parvis,
e terraque exorta repente arbusta salirent.
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
paulatim crescunt, ut par est semine certo
crescere, resque genus servant; ut noscere possis
quicque sua de materia grandescere alique.
huc accedit uti sine certis imbribus anni
laetificos nequeat fetus submittere tellus,
nec porro secreta cibo natura animantum
propagare genus possit vitamque tueri;
ut potius multis communia corpora rebus
multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
quam sine principiis ullam rem existere posse.
denique cur homines tantos natura parare
non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
transire et magnos manibus divellere montis
multaque vivendo vitalia vincere saecla,
si non, materies quia rebus reddita certast
gignundis, e qua constat quid possit oriri?
nil igitur fieri de nilo posse fatendumst,
semine quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras.
postremo quoniam incultis praestare videmus
culta loca et manibus melioris reddere fetus,
esse videlicet in terris primordia rerum,
quae nos fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus:
quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore
sponte sua multo fieri meliora videres.

Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nilum interemat res.
nam siquid mortale e cunctis partibus esset,
ex oculis res quaeque repente erepta periret:
nulla vi foret usus enim, quae partibus eius
discidium parere et nexus exsolvere posset.
quod nunc, aeterno quia constant semine quaeque,
donec vis obiit, quae res diverberet ictu
aut intus penetret per inania dissoluatque,
nullius exitium patitur natura videri.
praeterea quaecumque vetustate amovet aetas,
si penitus peremit consumens materiem omnem,
unde animale genus generatim in lumina vitae
redducit Venus, aut redductum daedala tellus
unde alit atque auget generatim pabula praebens?
unde mare ingenui fontes externaque large
flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?
omnia enim debet, mortali corpore quae sunt,
infinita aetas consumpse ante acta diesque.
quod si in eo spatio atque ante acta aetate fuere
e quibus haec rerum consistit summa refecta,
inmortali sunt natura praedita certe,
haut igitur possunt ad nilum quaeque reverti.
denique res omnis eadem vis causaque volgo
conficeret, nisi materies aeterna teneret,
inter se nexu minus aut magis indupedita:
tactus enim leti satis esset causa profecto;
quippe, ubi nulla forent aeterno corpore, quorum
contextum vis deberet dissolvere quaeque.
at nunc, inter se quia nexus principiorum
dissimiles constant aeternaque materies est,
incolumi remanent res corpore, dum satis acris
vis obeat pro textura cuiusque reperta.
haud igitur redit ad nilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpora materiai.
postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether
in gremium matris terrai praecipitavit:
at nitidae surgunt fruges, ramique virescunt

arboribus, crescunt ipsae fetuque gravantur:
hinc alitur porro nostrum genus atque ferarum:
hinc laetas urbes pueris florere videmus,
frondiferasque novis avibus canere undique silvas:
hinc fessae pecudes pingui per pabula laeta
corpora deponunt, et candens lacteus umor
uberibus manat distentis: hinc nova proles
artubus infirmis teneras lasciva per herbas
ludit lacte mero mentes perculsa novellas.
haud igitur penitus pereunt quaecumque videntur;
quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.
Nunc age, res quoniam docui non posse creari
de nilo neque item genitas ad nil revocari,
ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,
accipe praeterea quae corpora tute necessest
confiteare esse in rebus nec posse videri.
principio venti vis verberat incita pontum
ingentisque ruit navis et nubila differt,
interdum rapido percurrens turbine campos
arboribus magnis sternit montisque supremos
silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
cum fremitu saevitque minaci murmure ventus.
sunt igitur venti, nimirum, corpora caeca,
quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli
verrunt ac subito vexantia turbine raptant,
nec ratione fluunt alia stragemque propagant,
et cum mollis aquae fertur natura repente
flumine abundanti, quam largis imbribus auget
montibus ex altis magnus decursus aquai,
fragmina coniciens silvarum arbustaque tota,
nec validi possunt pontes venientis aquai
vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
molibus incurrit, validis cum viribus, amnis,
dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
grandia saxa, ruunt quae quidquid fluctibus obstat.
sic igitur debent venti quoque flamina ferri,

quae veluti validum cum flumen procubuere
quam libet in partem, trudunt res ante ruuntque
impetibus crebris, interdum vertice torto
corripiunt rapideque rotanti turbine portant.
quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca,
quandoquidem factis et moribus aemula magnis
amnibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.
tum porro varios rerum sentimus odores,
nec tamen ad naris venientis cernimus umquam,
nec calidos aestus tuimur, nec frigora quimus
usurpare oculis, nec voces cernere suemus;
quae tamen omnia corporea constare necessest
natura, quoniam sensus inpellere possunt:
tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.
denique fluctifrago suspensae in litore vestes
uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt.
at neque quo pacto persederit umor aquai
visumst, nec rursum quo pacto fugerit aestu.
in parvas igitur partis dispergitur umor,
quas oculi nulla possunt ratione videre.
quin etiam multis solis redeuntibus annis
anulus in digito subter tenuatur habendo,
stilicidi casus lapidem cavat, uncus aratri
ferreus occulte decrescit vomer in arvis,
strataque iam volgi pedibus detrita viarum
saxea conspicimus: tum, portas propter, aëna
signa manus dextras ostendunt adtenuari
saepe salutantum tactu praeterque meantum.
haec igitur minui, cum sint detrita, videmus:
sed quae corpora decedant in tempore quoque,
invida praeclusit spatium natura videndi.
postremo quaecumque dies naturaque rebus
paulatim tribuit, moderatim crescere cogens,
nulla potest oculorum acies contenta tueri,
nec porro quaecumque aevo macieque senescunt
nec, mare quae inpendent, vesco sale saxa peresa
quid quoque amittant in tempore cernere possis.
corporibus caecis igitur natura gerit res.

Nec tamen undique corporea stipata tenentur
omnia natura: namque est in rebus inane.
quod tibi cognosse in multis erit utile rebus,
nec sinet errantem dubitare et quaerere semper
de summa rerum et nostris diffidere dictis.
[quapropter locus est intactus inane vacansque]
quod si non esset, nulla ratione moveri
res possent: namque officium quod corporis exstat,
officere atque obstare, id in omni tempore adesset
omnibus: haud igitur quicquam procedere posset,
principium quoniam cedendi nulla daret res.
at nunc per maria ac terras sublimaque caeli
multa modis multis varia ratione moveri
cernimus ante oculos; quae, si non esset inane,
non tam sollicito motu privata carerent
quam genita omnino nulla ratione fuissent,
undique materies quoniam stipata quiesset.
praeterea quamvis solidae res esse putentur,
hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas.
in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.
dissipat in corpus sese cibus omne animantum:
crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt,
quod cibus in totas usque ab radicibus imis
per truncos ac per ramos diffunditur omnis.
inter saepta meant voces et clausa domorum
transvolitant, rigidum permanat frigus ad ossa.
quod nisi inania sint, qua corpora quaeque valerent
transire haud ulla fieri ratione videres.
denique cur alias aliis praestare videmus
pondere res rebus nilo maiore figura?
nam si tantundemst in lanae glomere quantum
corporis in plumbo est, tantundem pendere par est;
corporis officiumst quoniam premere omnia deorsum,
contra autem natura manet sine pondere inanis.
ergo quod magnumst aeque leviusque videtur,
nimirum, plus esse sibi declarat inanis:
at contra gravius plus in se corporis esse

dedicat et multo vacuum minus intus habere.
est igitur, nimirum, id quod ratione sagaci
quaerimus, admixtum rebus, quod inane vocamus.
Illud in his rebus ne te deducere vero
possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor.
cedere squamigeris latices nitentibus aiunt
et liquidas aperire vias, quia post loca pisces
linquant, quo possint cedentes confluere undae:
sic alias quoque res inter se posse moveri
et mutare locum, quamvis sint omnia plena
scilicet, id falsa totum ratione receptumst.
nam quo squamigeri poterunt procedere tandem,
ni spatium dederint latices? concedere porro
quo poterunt undae, cum pisces ire nequibunt?
aut igitur motu privandumst corpora quaeque,
aut esse admixtum dicundumst rebus inane,
unde initum primum capiat res quaeque movendi
postremo duo de concursu corpora lata
si cita dissiliant, nempe aër omne necessest,
inter corpora quod fiat, possidat inane:
is porro quamvis circum celerantibus auris
confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
compleri spatium: nam primum quemque necessest
occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,
tum putat id fieri quia se condenseat aër,
errat: nam vacuum tum fit quod non fuit ante,
et repletur item vacuum quod constitit ante,
nec tali ratione potest denserier aër,
nec, si iam posset, sine inani posset, opinor,
ipse in se trahere et partis conducere in unum.
Qua propter, quamvis causando multa moreris
esse in rebus inane tamen fateare necessest.
multaque praeterea tibi possum commemorando
argumenta fidem dictis conradere nostris.
verum animo satis haec vestigia parva sagaci
sunt, per quae possis cognoscere cetera tute:
namque canes ut montivagae persaepe ferai

naribus inveniunt intectas fronde quietes,
cum semel institerunt vestigia certa viai,
sic alid ex alio per te tute ipse videre
talibus in rebus poteris caecasque latebras
insinuare omnis et verum protrahere inde.
quod si pigraris paulumve recesseris ab re,
hoc tibi de plano possum promittere, Memmi:
usque adeo largis haustos e fontibus amnis
lingua meo suavis diti de pectore fundet,
ut verear ne tarda prius per membra senectus
serpat et in nobis vitai claustra resolvat,
quam tibi de quavis una re versibus omnis
argumentorum sit copia missa per auris.
Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis,
omnis, ut est, igitur per se natura duabus
constitit in rebus: nam corpora sunt, et inane,
haec in quo sita sunt et qua diversa moventur.
corpus enim per se communis dedicat esse
sensus; cui nisi prima fides fundata valebit,
haut erit occultis de rebus quo referentes
confirmare animi quicquam ratione queamus.
tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus,
si nullum foret, haut usquam sita corpora possent
esse neque omnino quoquam diversa meare;
id quod iam supera tibi paulo ostendimus ante.
praeterea nil est quod possis dicere ab omni
corpore seiunctum secretumque esse ab inani,
quod quasi tertia sit numero natura reperta.
nam quodcumque erit, esse aliquid debebit id ipsum;
cui si tactus erit quamvis levis exiguusque,
augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit,
corporis augebit numerum summamque sequetur:
sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
rem prohibere queat per se transire meantem,
scilicet, hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.
praeterea per se quod cumque erit, aut faciet quid
aut aliis fungi debebit agentibus ipsum,
aut erit ut possint in eo res esse gerique:

at facere et fungi sine corpore nulla potest res,
nec praebere locum porro nisi inane vacansque.
ergo, praeter inane et corpora, tertia per se
nulla potest rerum in numero natura relinqui,
nec quae sub sensus cadat ullo tempore nostros,
nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quae cumque cluent, aut his coniuncta duabus
rebus ea invenies aut horum eventa videbis.
coniunctum est id quod nusquam sine perniciali
discidio potis est seiungi seque gregari;
pondus uti saxist, calor ignis, liquor aquai.
[tactus corporibus cunctis intactus inani]
servitium contra, paupertas, divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum
adventu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.
tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:
nec per se quemquam tempus sentire fatendumst
semotum ab rerum motu placidaque quiete.
denique Tyndaridem raptam belloque subactas
Troiugenas gentis cum dicunt esse, videndumst
ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,
inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas:
namque aliud saeclis, aliud regionibus ipsis
eventum dici poterit quodcumque erit actum.
denique materies si rerum nulla fuisset,
nec locus ac spatium, res in quo quaeque geruntur,
numquam Tyndaridis formae conflatus amore
ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
clara accendisset saevi certamina belli,
nec clam durateus Troianis Pergama partu
inflammasset equos nocturno Graiugenarum;
perspicere ut possis res gestas funditus omnis
non ita uti corpus per se constare neque esse,
nec ratione cluere eadem qua constet inane,

sed magis ut merito possis eventa vocare
corporis, atque loci, res in quo quaeque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
partim concilio quae constant principiorum.
sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis
stinguere: nam solido vincunt ea corpore demum.
etsi difficile esse videtur credere quicquam
in rebus solido reperiri corpore posse.
transit enim fulmen caelum, per saepta domorum
clamor it ac voces, ferrum candescit in igni,
dissiliuntque fero ferventia saxa vapore:
tum labefactatus rigor auri solvitur aestu:
tum glacies aeris flamma devicta liquescit,
permanat calor argentum penetraleque frigus,
quando utrumque manu retinentes pocula rite
sensimus infuso lympharum rore superne.
usque adeo in rebus solidi nil esse videtur.
sed quia vera tamen ratio naturaque rerum
cogit, ades, paucis dum versibus expediamus
esse ea quae solido atque aeterno corpore constent,
semina quae rerum primordiaque esse docemus,
unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio quoniam duplex natura duarum
dissimilis rerum longe constare repertast,
corporis, atque loci, res in quo quaeque geruntur,
esse utramque sibi per se puramque necessest.
nam quacumque vacat spatium, quod inane vocamus,
corpus ea non est: qua porro cumque tenet se
corpus, ea vacuum nequaquam constat inane.
sunt igitur solida ac sine inani corpora prima.
praeterea quoniam genitis in rebus inanest,
materiem circum solidam constare necessest·
nec res ulla potest vera ratione probari
corpore inane suo celare atque intus habere,
si non, quod cohibet, solidum constare relinquas·
id porro nil esse potest nisi materiai
concilium, quod inane queat verum cohibere.
materies igitur, solido quae corpore constat,

esse aeterna potest, cum cetera dissoluantur.
tum porro si nil esset quod inane vacaret,
omne foret solidum: nisi contra corpora certa
essent, quae loca complerent quaecumque tenerent,
omne quod est, spatium vacuum constaret inane.
alternis igitur, nimirum, corpus inani
distinctum quoniam nec plenum naviter extat
nec porro vacuum, sunt ergo corpora certa,
quae spatium pleno possint distinguere inane.
haec neque dissolui plagis extrinsecus icta
possunt, nec porro penitus penetrata retexi
nec ratione queunt alia temptata labare;
id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.
nam neque conlidi sine inani posse videtur
quicquam nec frangi nec findi in bina secando,
nec capere umorem neque item manabile frigus
nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur.
et quo quaeque magis cohibet res intus inane,
tam magis his rebus penitus temptata labascit.
ergo si solida ac sine inani corpora prima
sunt ita uti docui, sint haec aeterna necessest.
praeterea nisi materies aeterna fuisset,
antehac ad nilum penitus res quaeque redissent,
de niloque renata forent quaecumque videmus.
at quoniam supra docui nil posse creari
de nilo neque quod genitum est ad nil revocari,
esse inmortali primordia corpore debent,
dissolui quo quaeque supremo tempore possint,
materies ut subpeditet rebus reparandis.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
nec ratione queunt alia servata per aevom
ex infinito iam tempore res reparare.
Denique si nullam finem natura parasset
frangendis rebus, iam corpora materiai
usque redacta forent aevo frangente priore,
ut nil ex illis a certo tempore posset
conceptum summa aetatis pervadere finis.
nam quidvis citius dissolvi posse videmus

quam rursus refici; quapropter longa diei
infinita aetas ante acti temporis omnis
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,
numquam relicuo reparari tempore posset.
at nunc, nimirum, frangendi reddita finis
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus
et finita simul generatim tempora rebus
stare, quibus possint aevi contingere florem.
huc accedit uti, solidissima materiai
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores,
quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
admixtum quoniam semel est in rebus inane:
at contra si mollia sint primordia rerum,
unde queant validi silices ferrumque creari
non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
principio fundamenti natura carebit.
sunt igitur solida pollentia simplicitate,
quorum condenso magis omnia conciliatu
artari possunt validasque ostendere viris.
Porro si nullast frangendis reddita finis
corporibus, tamen ex aeterno tempore quaedam
nunc etiam superare necessest corpora rebus,
quae nondum clueant ullo temptata periclo:
at quoniam fragili natura praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse manere
innumerabilibus plagis vexata per aevom.
denique iam quoniam generatim reddita finis
crescendi rebus constat vitamque tenendi,
et quid quaeque queant per foedera naturai,
quid porro nequeant, sancitum quandoquidem extat,
nec commutatur quicquam, quin omnia constent
usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae
ostendant maculas generalis corpore inesse,
inmutabili' materiae quoque corpus habere
debent, nimirum: nam si primordia rerum
commutari aliqua possent ratione revicta,
incertum quoque iam constet quid possit oriri,

quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens,
nec totiens possent generatim saecla referre
naturam mores victum motusque parentum.
Tum porro quod iam est extremum quodque cacumen
corporis ullius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt, id, nimirum, sine partibus extat
et minima constat natura, nec fuit umquam
per se secretum neque posthac esse valebit,
alterius quoniamst ipsum pars, primaque et una
inde aliae atque aliae similes ex ordine partes
agmine condenso naturam corporis explent;
quae quoniam per se nequeunt constare, necessest
haerere unde queant nulla ratione revelli.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
quae minimis stipata cohaerent partibus arte,
non ex ullorum conventu conciliata,
sed magis aeterna pollentia simplicitate,
unde neque avelli quicquam neque deminui iam
concedit natura reservans semina rebus.
praeterea nisi erit minimum, parvissima quaeque
corpora constabunt ex partibus infinitis;
quippe ubi dimidiae partis pars semper habebit
dimidiam partem, nec res praefiniet ulla.
ergo rerum inter summam minimamque quid escit?
nil erit ut distet: nam quamvis funditus omnis
summa sit infinita, tamen, parvissima quae sunt,
ex infinitis constabunt partibus aeque.
quod quoniam ratio reclamat vera negatque
credere posse animum, victus fateare necessest
esse ea quae nullis iam praedita partibus extent
et minima constent natura. quae quoniam sunt,
illa quoque esse tibi solida atque aeterna fatendum.
denique ni minimas in partis cuncta resolvi
cogere consuesset rerum natura creatrix,
iam nil ex illis eadem reparare valeret
propterea quia, quae multis sunt partibus aucta,
non possunt ea quae debet genitalis habere

materies, varios conexus, pondera, plagas,
concursus, motus, per quae res quaeque geruntur.
Quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo,
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux proelia primus,
clarus ob obscuram linguam magis inter inanis
quamde gravis inter Graios, qui vera requirunt:
omnia enim stolidi magis admirantur amantque,
inversis quae sub verbis latitantia cernunt,
veraque constituunt quae belle tangere possunt
auris et lepido quae sunt fucata sonore.
Nam cur tam variae res possent esse, requiro,
ex uno si sunt igni puroque creatae?
nil prodesset enim calidum denserier ignem
nec rarefieri, si partes ignis eandem
naturam quam totus habet super ignis haberent.
acrior ardor enim conductis partibus esset,
languidior porro disiectis disque supatis:
amplius hoc fieri nil est quod posse rearis
talibus in causis, nedum variantia rerum
tanta queat densis rarisque ex ignibus esse.
id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
denseri poterunt ignes rarique relinqui:
sed quia multa sibi cernunt contraria amussim
et fugitant in rebus inane relinquere purum,
ardua dum metuunt, amittunt vera viai,
nec rursum cernunt exempto rebus inani
omnia denseri fierique ex omnibus unum
corpus, nil ab se quod possit mittere raptim;
aestifer ignis uti lumen iacit atque vaporem,
ut videas non e stipatis partibus esse.
quod si forte alia credunt ratione potesse
ignis in coetu stingui mutareque corpus,
scilicet, ex nulla facere id si parte reparcent,
occidet ad nilum, ni mirum, funditus ardor
omnis et *e* nilo fient quaecumque creantur:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,

continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde aliquid superare necesse est incolume ollis,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes
de niloque renata vigescat copia rerum.
nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam
sunt, quae conservant naturam semper eandem,
quorum abitu aut aditu mutatoque ordine mutant
naturam res et convertunt corpora sese,
scire licet non esse haec ignea corpora rerum.
nil referret enim quaedam decedere, abire,
atque alio adtribui, mutarique ordine quaedam,
si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
ignis enim foret omnimodis quodcumque crearent.
verum, ut opinor, itast: sunt quaedam corpora, quorum
concursus motus ordo positura figurae
efficiunt ignis, mutatoque ordine mutant
naturam, neque sunt igni simulata neque ulli
praeterea rei quae corpora mittere possit
sensibus et nostros adiectu tangere tactus.

Dicere porro ignem res omnis esse, neque ullam
rem veram in numero rerum constare nisi ignem,
quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
et labefactat eos, unde omnia credita pendent,
unde hic cognitus est ipsi quem nominat ignem:
credit enim sensus ignem cognoscere vere,
cetera non credit, quae nilo clara minus sunt.
quod mihi cum vanum tum delirum esse videtur·
quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus?
praeterea quare quisquam magis omnia tollat
et velit ardoris naturam linquere solam,
quam neget esse ignis, *quidvis* tamen esse relinquat?
aequa videtur enim dementia dicere utrumque.

Quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere posse,
et qui principium gignundis aëra rebus
constituere, aut umorem quicumque putarunt

fingere res ipsum per se, terramve creare
omnia et in rerum naturas vertier omnis,
magno opere a vero longe derrasse videntur.
adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
aëra iungentes igni, terramque liquori,
et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur
ex igni terra atque anima procrescere et imbri.
quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,
insula quem triquetris terrarum gessit in oris,
quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis aspargit virus ab undis,
angustoque fretu rapidum mare dividit *almae*
Italiae terrarum oras a finibus eius.
hic est vasta Charybdis, et hic Aetnaea minantur
murmura flammarum rursum se colligere iras,
faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis
ad caelumque ferat flammai fulgura rursum.
quae cum magna modis multis miranda videtur
gentibus humanis regio visendaque fertur,
rebus opima bonis, multa munita virum vi,
nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se
nec sanctum magis et mirum carumque videtur.
carmina quin etiam divini pectoris eius
vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen et supra quos diximus inferiores
partibus egregie multis multoque minores,
quamquam multa bene ac divinitus invenientes
ex adyto tamquam cordis responsa dedere
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur,
principiis tamen in rerum fecere ruinas
et graviter magni magno cecidere ibi casu;
primum quod motus exempto rebus inani
constituunt, et res mollis rarasque relinquont,
aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges,
nec tamen admiscent in eorum corpus inane;
deinde quod omnino finem non esse secandis

corporibus faciunt, neque pausam stare fragori,
nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam;
cum videamus id extremum cuiusque cacumen
esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur,
conicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis
extremum quod habent, minimum consistere *prorsum*.
huc accedit uti, quoniam primordia rerum
mollia constituunt, quae nos nativa videmus
esse et mortali cum corpore, funditus usque
debeat ad nilum iam rerum summa reverti
de niloque renata vigescere copia rerum;
quorum utrumque quid a vero iam distet habebis.
deinde inimica modis multis sunt atque veneno
ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
aut ita diffugient ut tempestate coacta
fulmina diffugere atque imbris ventosque videmus.
Denique quattuor ex rebus si cuncta creantur
atque in eas rursum res omnia dissoluuntur,
qui magis illa queunt rerum primordia dici
quam contra res illorum retroque putari?
alternis gignuntur enim mutantque colorem
et totam inter se naturam tempore ab omni.
sin ita forte putas ignis terraeque coire
corpus et aërias auras roremque liquoris,
nil in concilio naturam ut mutet eorum,
nulla tibi ex illis poterit res esse creata,
non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos:
quippe suam quicque in coetu variantis acervi
naturam ostendet, mixtusque videbitur aër
cum terra simul atque ardor cum rore manere.
at primordia gignundis in rebu' necessest
naturam clandestinam caecamque adhibere;
emineat ne quid, quod contra pugnet et obstet
quo minus esse queat proprie quodcumque creatur.
Quin etiam repetunt a caelo atque ignibus eius,
et primum faciunt ignem se vertere in auras
aëris, hinc imbrem gigni, terramque creari
ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,

umorem primum, post aëra, deinde calorem,
nec cessare haec inter se mutare, meare
a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi.
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
quapropter quoniam quae paulo diximus ante
in commutatum veniunt, constare necessest
ex aliis ea, quae nequeant convertier usquam,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
quin potius tali natura praedita quaedam
corpora constituas, ignem si forte crearint,
posse eadem, demptis paucis paucisque tributis,
ordine mutato et motu, facere aëris auras,
sic alias aliis rebus mutarier omnis?
'At manifesta palam res indicat' inquis 'in auras
aëris e terra res omnis crescere alique:
et nisi tempestas indulget tempore fausto
imbribus, ut tabe nimborum arbusta vacillent,
solque sua pro parte fovet tribuitque calorem,
crescere non possint fruges arbusta animantis.'
scilicet, et nisi nos cibus aridus et tener umor
adiuvet, amisso iam corpore vita quoque omnis
omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur:
adiutamur enim dubio procul atque alimur nos
certis ab rebus, certis aliae atque aliae res.
nimirum, quia multa modis communia multis
multarum rerum in rebus primordia mixta
sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.
atque eadem magni refert primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque ·
namque eadem caelum mare terras flumina solem
constituunt, eadem fruges arbusta animantis,
verum aliis alioque modo commixta moventur.
quin etiam passim nostris in versibus ipsis

multa elementa vides multis communia verbis,
cum tamen inter se versus ac verba necessest
confiteare et re et sonitu distare sonanti.
tantum elementa queunt permutato ordine solo:
at rerum quae sunt primordia, plura adhibere
possunt unde queant variae res quaeque creari.
Nunc et Anaxagorae scrutemur homoeomerian
quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis.
principio, rerum quom dicit homoeomerian,
ossa, videlicet, e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
visceribus viscus gigni sanguenque creari
sanguinis inter se multis coëuntibu' guttis
ex aurique putat micis consistere posse
aurum et de terris terram concrescere parvis,
ignibus ex ignis, umorem umoribus esse,
cetera consimili fingit ratione putatque.
nec tamen esse ulla idem ex parte in rebus inane
concedit, neque corporibus finem esse secandis.
quare in utraque mihi pariter ratione videtur
errare atque illi, supra quos diximus ante.
adde quod inbecilla nimis primordia fingit;
si primordia sunt, simili quae praedita constant
natura atque ipsae res sunt, aequeque laborant
et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat.
nam quid in oppressu valido durabit eorum,
ut mortem effugiat, leti sub dentibus ipsis?
ignis, an umor, an aura? quid horum? sanguen, an ossa?
nil, ut opinor, ubi ex aequo res funditus omnis
tam mortalis erit quam quae manifesta videmus
ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
at neque reccidere ad nilum res posse neque autem
crescere de nilo testor res ante probatas.
praeterea quoniam cibus auget corpus alitque,
scire licet nobis venas et sanguen et ossa

. . . .

sive cibos omnis commixto corpore dicent
esse et habere in se nervorum corpora parva
ossaque et omnino venas partisque cruoris,
fiet uti cibus omnis, et aridus et liquor ipse,
ex alienigenis rebus constare putetur,
ossibus et nervis sanieque et sanguine mixtim.
praeterea quaecumque e terra corpora crescunt
si sunt in terris, terram constare necessest
ex alienigenis, quae terris exoriuntur.
transfer item, totidem verbis utare licebit.
in lignis si flamma latet fumusque cinisque,
ex alienigenis consistant ligna necessest.
praeterea tellus quae corpora cumque alit, auget
ex alienigenis, quae alienigenis oriuntur.
Linquitur hic quaedam latitandi copia tenvis,
id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnis
res putet inmixtas rebus latitare, sed illud
apparere unum, cuius sint plurima mixta
et magis in promptu primaque in fronte locata.
quod tamen a vera longe ratione repulsumst.
conveniebat enim fruges quoque saepe, minaci
robore cum saxi franguntur, mittere signum
sanguinis aut aliquid, nostro quae corpore aluntur;
cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.
consimili ratione herbas quoque saepe decebat
et laticis dulcis guttas similique sapore
mittere, lanigerae quali sunt ubere lactis,
scilicet, et glebis terrarum saepe friatis
herbarum genera et fruges frondesque videri
dispertita inter terram latitare minute,
postremo in lignis cinerem fumumque videri,
cum praefracta forent, ignisque latere minutos.
quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,
scire licet non esse in rebus res ita mixtas,
verum semina multimodis inmixta latere
multarum rerum in rebus communia debent
'At saepe in magnis fit montibus' inquis 'ut altis
arboribus vicina cacumina summa terantur

inter se, validis facere id cogentibus austris,
donec flammai fulserunt flore coorto.'
scilicet, et non est lignis tamen insitus ignis,
verum semina sunt ardoris multa, terendo
quae cum confluxere, creant incendia silvis:
quod si facta foret silvis abscondita flamma,
non possent ullum tempus celarier ignes,
conficerent volgo silvas, arbusta cremarent.
iamne vides igitur, paulo quod diximus ante,
permagni referre eadem primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus.
denique iam quae cumque in rebus cernis apertis
si fieri non posse putas, quin materiai
corpora consimili natura praedita fingas,
hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
fiet uti risu tremulo concussa cachinnent
et lacrimis salsis umectent ora genasque.

Nunc age, quod super est cognosce et clarius audi.
nec me animi fallit quam sint obscura: sed acri
percussit thyrso laudis spes magna meum cor
et simul incussit suavem mi in pectus amorem
musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
sed veluti pueris absinthia taetra medentes

cum dare conantur, prius oras, pocula circum,
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas inprovida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle;
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
naturam rerum, qua constet compta figura.
Sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo volitare invicta per aevom,
nunc age, summai quaedam sit finis eorum,
necne sit, evolvamus: item quod inane repertumst
seu locus ac spatium, res in quo quaeque gerantur,
pervideamus utrum finitum funditus omne
constet, an immensum pateat vasteque profundum.
Omne quod est igitur nulla regione viarum
finitumst: namque extremum debebat habere:
extremum porro nullius posse videtur
esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur
quo non longius haec sensus natura sequatur.
nunc extra summam quoniam nil esse fatendum,
non habet extremum, caret ergo fine modoque.
nec refert quibus adsistas regionibus eius:
usque adeo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.
praeterea si iam finitum constituatur
omne quod est spatium, siquis procurrat ad oras
ultimus extremas iaciatque volatile telum,
id validis utrum contortum viribus ire
quo fuerit missum mavis longeque volare,
an prohibere aliquid censes obstareque posse?
alterutrum fatearis enim sumasque necessest.

quorum utrumque tibi effugium praecludit et omne
cogit ut exempta concedas fine patere.
nam sive est aliquid quod probeat efficiatque
quo minu' quo missum est veniat finique locet se,
sive foras fertur, non est a fine profectum.
hoc pacto sequar atque, oras ubicumque locaris
extremas, quaeram quid telo denique fiat.
fiet uti nusquam possit consistere finis,
effugiumque fugae prolatet copia semper.
Praeterea spatium summai totius omne
undique si inclusum certis consisteret oris
finitumque foret, iam copia materiai
undique ponderibus solidis confluxet ad imum,
nec res ulla geri sub caeli tegmine posset,
nec foret omnino caelum neque lumina solis;
quippe ubi materies omnis cumulata iaceret
ex infinito iam tempore subsidendo.
at nunc, nimirum, requies data principiorum
corporibus nullast, quia nil est funditus imum,
quo quasi confluere et sedes ubi ponere possint.
semper in adsiduo motu res quaeque geruntur
partibus e cunctis, aeternaque suppeditantur
ex infinito cita corpora materiai.
Postremo ante oculos res rem finire videtur:
aër dissaepit collis atque aëra montes,
terra mare et contra mare terras terminat omnis:
omne quidem vero nil est quod finiat extra.
est igitur natura loci spatiumque profundi,
quod neque clara suo percurrere fulmina cursu
perpetuo possint aevi labentia tractu
nec prorsum facere ut restet minus ire meando·
usque adeo passim patet ingens copia rebus,
finibus exemptis, in cunctas undique partis.
ipsa modum porro sibi rerum summa parare
ne possit, natura tenet, quae corpus inani
et quod inane autem est finiri corpore cogit,
ut sic alternis infinita omnia reddat.
aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum, eorum

simplice natura pateat tamen inmoderatum,
nec mare nec tellus neque caeli lucida templa
nec mortale genus nec divum corpora sancta
exiguum possent horai sistere tempus:
nam dispulsa suo de coetu materiai
copia ferretur magnum per inane soluta,
sive adeo potius numquam concreta creasset
ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset.
nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,
sed quia multa modis multis mutata per omne
ex infinito vexantur percita plagis,
omne genus motus et coetus experiundo
tandem deveniunt in talis dispositura s,
qualibus haec rerum consistit summa creata,
et multos etiam magnos servata per annos
ut semel in motus coniectast convenientis,
efficit ut largis avidum mare fluminis undis
integrent amnes et solis terra vapore
fota novet fetus summissaque gens animantum
floreat et vivant labentes aetheris ignes;
quod nullo facerent pacto, nisi materiai
ex infinito suboriri copia posset,
unde amissa solent reparare in tempore quaeque.
nam veluti privata cibo natura animantum
diffluit amittens corpus, sic omnia debent
dissolui simul ac defecit suppeditare
materies aliqua ratione aversa viaque.
nec plagae possunt extrinsecus undique summam
conservare omnem, quaecumque est conciliata.
cudere enim crebro possunt partemque morari,
dum veniant aliae ac suppleri summa queatur:
interdum resilire tamen coguntur et una
principiis rerum spatium tempusque fugai
largiri, ut possint a coetu libera ferri.
quare etiam atque etiam suboriri multa necessest,

et tamen ut plagae quoque possint suppetere ipsae,
infinita opus est vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
in medium summae quod dicunt omnia niti,
atque ideo mundi naturam stare sine ullis
ictibus externis neque quoquam posse resolvi
summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa;
ipsum si quicquam posse in se sistere credis,
et quae pondera sunt sub terris omnia sursum
nitier in terraque retro requiescere posta.
ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus,
adsimili ratione animalia suppa vagari
contendunt, neque posse e terris in loca caeli
reccidere inferiora magis quam corpora nostra
sponte sua possint in caeli templa volare
illi cum videant solem, nos sidera noctis
cernere, et alternis nobiscum tempora caeli
dividere et noctes parilis agitare diebus.
sed vanus stolidis haec
amplexi quod habent perv
nam medium nil esse potest
infinita. neque omnino, si iam *medium sit*,
possit ibi quicquam consistere
quam quavis alia longe ratione
omnis enim locus ac spatium, quod in*ane vocamus*,
per medium, per non medium, concedere *debet*
aeque ponderibus, motus qua cumque feruntur.
nec quisquam locus est, quo corpora cum venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani:
nec quod inane autem est ulli subsistere debet,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
haud igitur possunt tali ratione teneri
res in concilium medii cuppedine vinctae.
Praeterea quoniam non omnia corpora fingunt
in medium niti, sed terrarum atque liquoris,
et quasi terreno quae corpore contineantur,
umorem ponti magnasque e montibus undas,
at contra tenuis exponunt aëris auras

et calidos simul a medio differrier ignis,
atque ideo totum circum tremere aethera signis
et solis flammam per caeli caerula pasci,
quod calor a medio fugiens se ibi conligat omnis,
nec prorsum arboribus summos frondescere ramos
posse, nisi a terris paulatim cuique cibatum
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
ne volucri ritu flammarum moenia mundi
diffugiant subito magnum per inane soluta,
et ne cetera consimili ratione sequantur,
neve ruant caeli penetralia templa superne
terraque se pedibus raptim subducat et omne
inter permixtas rerum caelique ruinas
corpora solventes abeat per inane profundum,
temporis ut puncto nil extet reliquiarum,
desertum praeter spatium et primordia caeca.
nam quacumque prius de parti corpora desse
constitues, haec rebus erit pars ianua leti:
hac se turba foras dabit omnis materiai.
Haec, sis, pernoscas parva perdoctus opella.
namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
nox iter eripiet, quin ultima naturai
pervideas: ita res accendent lumina rebus.

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER SECUNDUS.

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
e terra magnum alterius spectare laborem;
non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est:
suave etiam belli certamina magna tueri
per campos instructa, tua sine parte pericli
sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios passimque videre
errare atque viam palantis quaerere vitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.
o miseras hominum mentes, o pectora caeca!
qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
degitur hoc aevi quodcumquest! nonne videre
nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cui
corpore seiunctus dolor absit, menti' fruatur
iucundo sensu, cura semotu' metuque?
ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint.
gratius interdum neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedes
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulgenti auroque renidet,
nec citharae reboant laqueata arquataque tecta,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant,

praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantis floribus herbas
nec calidae citius decedunt corpore febres,
textilibus si in picturis ostroque rubenti
iacteris, quam si in plebeia veste cubandum est.
quapropter quoniam nil nostro in corpore gazae
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod superest, animo quoque nil prodesse putandum;
si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas, belli simulacra cientis,
subsidiis magnis hastatis constabilitas,
ornatas armis pariter pariterque animatas,
fervere cum videas classem lateque vagari,
his tibi tum rebus timefactae religiones
effugiunt animo pavide, mortisque timores
tum vacuum pectus lincunt curaque solutum.
quod si ridicula haec ludibriaque esse videmus,
re veraque metus hominum curaeque sequaces
nec metuunt sonitus armorum nec fera tela,
audacterque inter reges rerumque potentis
versantur, neque fulgorem reverentur ab auro
nec clarum vestis splendorem purpureai,
quid dubitas quin omni' sit haec rationi' potestas?
omnis cum in tenebris praesertim vita laboret:
nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Nunc age, quo motu genitalia materiai
corpora res varias gignant genitasque resolvant,
et qua vi facere id cogantur, quaeque sit ollis
reddita mobilitas magnum per inane meandi,
expediam: tu te dictis praebere memento
nam certe non inter se stipata cohaeret
materies, quoniam minui rem quamque videmus,

et quasi longinquo fluere omnia cernimus aevo
ex oculisque vetustatem subducere nostris,
cum tamen incolumis videatur summa manere
propterea quia, quae decedunt corpora cuique,
unde abeunt minuunt, quo venere augmine donant.
illa senescere at haec contra florescere cogunt,
nec remorantur ibi. sic rerum summa novatur
semper, et inter se mortales mutua vivunt.
augescunt aliae gentes, aliae minuuntur,
inque brevi spatio mutantur saecla animantum
et quasi cursores vitai lampada tradunt.
Si cessare putas rerum primordia posse
cessandoque novos rerum progignere motus,
avius a vera longe ratione vagaris.
nam quoniam per inane vagantur, cuncta necessest
aut gravitate sua ferri primordia rerum,
aut ictu forte alterius. nam *cum* cita saepe
obvia conflixere, fit ut diversa repente
dissiliant: neque enim mirum, durissima quae sint
ponderibus solidis neque quicquam a tergo ibus obstet.
et quo iactari magis omnia materiai
corpora pervideas, reminiscere totius imum
nil esse in summa, neque habere ubi corpora prima
consistant; quoniam spatium sine fine modoquest,
inmensumque patere in cunctas undique partis
pluribus ostendi et certa ratione probatumst.
quod quoniam constat, nimirum, nulla quies est
reddita corporibus primis per inane profundum,
sed magis adsiduo varioque exercita motu
partim intervallis magnis confulta resultant,
pars etiam brevibus spatiis vexantur ab ictu.
et quaecumque magis condenso conciliatu
exiguis intervallis convecta resultant,
indupedita suis perplexis ipsa figuris,
haec validas saxi radices et fera ferri
corpora constituunt, et cetera *de* genere horum
paucula quae porro magnum per inane vagantur
cetera dissiliunt longe, longeque recursant

in magnis intervallis: haec aëra rarum
sufficiunt nobis et splendida lumina solis.
multaque praeterea magnum per inane vagantur,
conciliis rerum quae sunt reiecta nec usquam
consociare etiam motus potuere recepta.
cuius, uti memoro, rei simulacrum et imago
ante oculos semper nobis versatur et instat.
contemplator enim, cum solis lumina cumque
inserti fundunt radii per opaca domorum:
multa minuta modis multis per inane videbis
corpora misceri, radiorum lumine in ipso,
et velut aeterno certamine proelia pugnas
edere turmatim certantia nec dare pausam,
conciliis et discidiis exercita crebris;
conicere ut possis ex hoc, primordia rerum
quale sit in magno iactari semper inani.
dumtaxat, rerum magnarum parva potest res
exemplare dare et vestigia notitiai.
hoc etiam magis haec animum te advertere par est
corpora quae in solis radiis turbare videntur,
quod tales turbae motus quoque materiai
significant clandestinos caecosque subesse.
multa videbis enim plagis ibi percita caecis
commutare viam retroque repulsa reverti,
nunc huc nunc illuc, in cunctas undique partis.
scilicet, hic a principiis est omnibus error.
prima moventur enim per se primordia rerum:
inde ea quae parvo sunt corpora conciliatu
et quasi proxima sunt ad viris principiorum,
ictibus illorum caecis inpulsa cientur,
ipsaque proporro paulo maiora lacessunt.
sic a principiis ascendit motus et exit
paulatim nostros ad sensus, ut moveantur
illa quoque, in solis quae lumine cernere quimus
nec quibus id faciant plagis apparet aperte.
Nunc quae mobilitas sit reddita materiai
corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
primum aurora novo cum spargit lumine terras,

et variae volucres nemora avia pervolitantes
aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent,
quam subito soleat sol ortus tempore tali
convestire sua perfundens omnia luce,
omnibus in promptu manifestumque esse videmus.
at vapor is quem sol mittit lumenque serenum,
non per inane meat vacuum; quo tardius ire
cogitur, aërias quasi dum diverberet undas:
nec singillatim corpuscula quaeque vaporis
sed complexa meant inter se conque globata;
quapropter simul inter se retrahuntur et extra
officiuntur, uti cogantur tardius ire.
at quae sunt solida primordia simplicitate,
cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
ulla foris, atque ipsa suis e partibus unum,
unum, in quem coepere locum conixa feruntur,
debent, ni mirum, praecellere mobilitate,
et multo citius ferri quam lumina solis,
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant fulgura caelum.
|| At quidam contra haec, ignari materiai
nec persectati primordia singula quaeque,
ut videant qua quicque geratur cum ratione,
naturam non posse, deum sine numine, rentur
tanto opere humanis rationibus admoderate
tempora mutare annorum, frugesque creare,
et iam cetera, mortalis quae suadet adire
ipsaque deducit dux vitae dia voluptas
et res per Veneris blanditur saecla propagent,
ne genus occidat humanum. quorum omnia causa
constituisse deos cum fingunt, omnibu' rebus
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
nam quamvis rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse creatam
naturam mundi: tanta stat praedita culpa.
quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:

nunc id quod superest de motibus expediemus. ||
Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
confirmare tibi, nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare;
ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem.
sursus enim versus gignuntur et augmina sumunt
et sursum nitidae fruges arbustaque crescunt,
pondera, quantum in se est, cum deorsum cuncta ferantur.
nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum
et celeri flamma degustant tigna trabesque,
sponte sua facere id sine vi subeunte putandum est.
quod genus est, nostro cum missus corpore sanguis
emicat exultans alte spargitque cruorem.
nonne vides etiam quanta vi tigna trabesque
respuat umor aquae? nam quo magis ursimus alte
deiecta et magna vi multi pressimus aegre,
tam cupide sursum revomit magis atque remittit,
plus ut parte foras emergant exiliantque.
nec tamen haec, quantum est in se, dubitamus, opinor,
quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.
sic igitur debent flammae quoque posse per auras
aëris expressae sursum succedere, quamquam
pondera, quantum in *se* est, deversus ducere pugnent.
nocturnasque faces caeli, sublime volantis,
nonne vides longos flammarum ducere tractus
in quascumque dedit partis natura meatum?
non cadere in terram stellas et sidera cernis?
sol etiam *caeli* de vertice dissipat omnis
ardorem in partis et lumine conserit arva:
in terras igitur quoque solis vergitur ardor.
transversosque volare per imbris fulmina cernis,
nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
concursant: cadit in terras vis flammea volgo.
Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,
corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,
ponderibus propriis incerto tempore ferme
incertisque loci spatiis decellere paulum,
tantum quod momen mutatum dicere possis.

quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,
imbris uti guttae, caderent per inane profundum,
nec foret offensus natus nec plaga creata
principiis: ita nil umquam natura creasset.
Quod si forte aliquis credit graviora potesse
corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
incidere ex supero levioribus, atque ita plagas
gignere, quae possint genitalis reddere motus,
avius a vera longe ratione recedit.
nam per aquas quaecumque cadunt atque aëra rarum,
haec pro ponderibus casus celerare necessest
propterea quia corpus aquae naturaque tenvis
aëris haut possunt aeque rem quamque morari,
sed citius cedunt gravioribus exsuperata:
at contra nulli de nulla parte neque ullo
tempore inane potest vacuum subsistere rei,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat:
omnia quapropter debent per inane quietum
aeque ponderibus non aequis concita ferri.
haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
ex supero graviora, neque ictus gignere per *se*,
qui varient motus, per quos natura gerat res.
quare etiam atque etiam paulum inclinare necessest
corpora; nec plus quam minimum, ne fingere motus
obliquos videamur et id res vera refutet.
namque hoc in promptu manifestumque esse videmus,
pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
ex supero cum praecipitant, quod cernere possis:
sed nil omnino *nulla* regione viai
declinare quis est qui possit cernere sensus?
Denique si semper motus conectitur omnis
et vetere exoritur *semper* novus ordine certo,
nec declinando faciunt primordia motus
principium quoddam, quod fati foedera rumpat,
ex infinito ne causam causa sequatur,
libera per terras unde haec animantibus exstat,
unde est haec, inquam, fatis avolsa potestas,
per quam progredimur quo ducit quemque voluntas,

declinamus item motus nec tempore certo
nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens?
nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas
principium dat, et hinc motus per membra rigantur.
nonne vides etiam patefactis tempore puncto
carceribus non posse tamen prorumpere equorum
vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa?
omnis enim, totum per corpus, materiai
copia conciri debet, concita per artus
omnis ut studium mentis conixa sequatur;
ut videas initum motus a corde creari,
ex animique voluntate id procedere primum,
inde dari porro per totum corpus et artus.
nec similest ut cum impulsi procedimus ictu,
viribus alterius magnis magnoque coactu·
nam tum materiem totius corporis omnem
perspicuumst nobis invitis ire rapique,
donec eam refrenavit per membra voluntas.
iamne vides igitur, quamquam vis extera multos
pellat et invitos cogat procedere saepe
praecipitesque rapi, tamen esse in pectore nostro
quiddam quod contra pugnare obstareque possit?
cuius ad arbitrium quoque copia materiai
cogitur interdum flecti per membra per artus,
et proiecta refrenatur retroque residit.
quare in seminibus quoque idem fateare necessest,
esse aliam praeter plagas et pondera causam
motibus, unde haec est nobis innata potestas;
de nilo quoniam fieri nil posse videmus.
pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant
externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum
intestinum habeat cunctis in rebus agendis
et devicta quasi id cogatur ferre patique,
id facit exiguum clinamen principiorum
nec regione loci certa nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit umquam materiai
copia nec porro maioribus intervallis:
nam neque adaugescit quicquam neque deperit inde.

quapropter quo nunc in motu principiorum
corpora sunt, in eodem ante acta aetate fuere
et post haec semper simili ratione ferentur,
et quae consuerint gigni gignentur eadem
condicione et erunt et crescent vique valebunt,
quantum cuique datum est per foedera naturai.
nec rerum summam commutare ulla potest vis:
nam neque quo possit genus ullum materiai
effugere ex omni quicquam est *usquam*, neque in omne
unde coorta queat nova vis inrumpere et omnem
naturam rerum mutare et vertere motus.

Illud in his rebus non est mirabile, quare,
omnia cum rerum primordia sint in motu,
summa tamen summa videatur stare quiete,
praeter quam siquid proprio dat corpore motus.
omnis enim longe nostris ab sensibus infra
primorum natura iacet; quapropter, ubi ipsa
cernere iam nequeas, motus quoque surpere debent;
praesertim cum, quae possimus cernere, celent
saepe tamen motus, spatio diducta locorum.
nam saepe in colli tondentes pabula laeta
lanigerae reptant pecudes quo quamque vocantes
invitant herbae gemmantes rore recenti,
et satiati agni ludunt blandeque coruscant;
omnia quae nobis longe confusa videntur
et velut in viridi candor consistere colli.
praeterea magnae legiones cum loca cursu
camporum complent, belli simulacra cientes,
fulgor ibi ad caelum se tollit, totaque circum
aere renidescit tellus, supterque virum vi
excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
icti reiectant voces ad sidera mundi,
et circum volitant equites mediosque repente
tramittunt valido quatientes impete campos:
et tamen est quidam locus altis montibus, *unde*
stare videntur et in campis consistere fulgor.

Nunc age, iam deinceps cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam longe distantia formis

percipe, multigenis quam sint variata figuris;
non quo multa parum simili sint praedita forma,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
nec mirum: nam cum sit eorum copia tanta,
ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla,
debent, nimirum, non omnibus omnia prorsum
esse pari filo similique adfecta figura.
parturiunt genus humanum mutaeque natantes
squamigerum pecudes et laeta armenta feraeque,
et variae volucres, laetantia quae loca aquarum
concelebrant circum ripas fontisque lacusque,
et quae pervolgant nemora avia pervolitantes;
quorum unum quidvis generatim sumere perge:
invenies tamen inter se differre figuris.
nec ratione alia proles cognoscere matrem
nec mater posset prolem; quod posse videmus,
nec minus atque homines inter se nota cluere.
nam saepe ante deum vitulus delubra decora
turicremas propter mactatus concidit aras,
sanguinis expirans calidum de pectore flumen:
at mater viridis saltus orbata peragrans
noscit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
omnia convisens oculis loca, si queat usquam
conspicere amissum fetum, completque querellis
frondiferum nemus adsiduis, et crebra revisit
ad stabulum, desiderio perfixa iuvenci,
nec tenerae salices atque herbae rore vigentes
fluminaque illa queunt summis labentia ripis
oblectare animum dubiamque avertere curam,
nec vitulorum aliae species per pabula laeta
derivare queunt animum curaque levare:
usque adeo quiddam proprium notumque requirit.
praeterea teneri tremulis cum vocibus haedi
cornigeras norunt matres, agnique petulci
balantum pecudes: ita, quod natura reposcit,
ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.
postremo quodvis frumentum non tamen omne
quique suo genere inter se simile esse videbis,

quin intercurrat quaedam distantia formis.
concharumque genus parili ratione videmus
pingere telluris gremium, qua mollibus undis
litoris incurvi bibulam pavit aequor harenam.
quare etiam atque etiam simili ratione necessest,
natura quoniam constant neque facta manu sunt
unius ad certam formam primordia rerum,
dissimili inter se quaedam volitare figura.
Perfacile est parili ratione exsolvere nobis
quare fulmineus multo penetralior ignis
quam noster fuat e taedis terrestribus ortus:
dicere enim possis caelestem fulminis ignem
subtilem magis e parvis constare figuris,
atque ideo transire foramina quae nequit ignis
noster hic e lignis ortu taedaque creatus.
praeterea lumen per cornum transit, at imber
respuitur. quare? nisi luminis illa minora
corpora sunt quam de quibus est liquor almus aquarum.
et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivom,
aut quia, nimirum, maioribus est elementis
aut magis hamatis inter se perque plicatis,
atque ideo fit uti non tam diducta repente
inter se possint primordia singula quaeque
singula per cuiusque foramina permanare.
Huc accedit uti mellis lactisque liquores
iucundo sensu linguae tractentur in ore:
at contra taetra absinthi natura ferique
centauri foedo pertorquent ora sapore;
ut facile agnoscas e levibus atque rutundis
esse ea quae sensus iucunde tangere possunt,
at contra quae amara atque aspera cumque videntur,
haec magis hamatis inter se nexa teneri,
propterea queque solere vias rescindere nostris
sensibus introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus et mala tactu
dissimili inter se pugnant perfecta figura;
ne tu forte putes serrae stridentis acerbum

horrorem constare elementis levibus aeque
ac musaea mele, per chordas organici quae
mobilibus digitis expergefacta figurant;
neu simili penetrare putes primordia forma
in nares hominum, cum taetra cadavera torrent,
et cum scena croco Cilici perfusa recens est
araque Panchaeos exhalat propter odores;
neve bonos rerum simili constare colores
semine constituas, oculos qui pascere possunt,
et qui conpungunt aciem lacrimareque cogunt
aut foeda specie diri turpesque videntur.
omnis enim, sensus quae mulcet cumque, *figura*
haut sine principiali aliquo levore creatast:
at contra quaecumque molesta atque aspera constat,
non aliquo sine materiae squalore repertast.
sunt etiam quae iam nec levia iure putantur
esse neque omnino flexis mucronibus unca,
sed magis angellis paulum prostantibus, *unde*
titillare magis sensus quam laedere possunt;
fecula iam quo de genere est inulaeque sapores.
denique iam calidos ignis gelidamque pruinam
dissimili dentata modo conpungere sensus
corporis, indicio nobis est tactus uterque.
tactus enim, tactus, pro, divum numina sancta,
corporis est sensus, vel cum res extera sese
insinuat, vel cum laedit quae in corpore natast
aut iuvat egrediens genitalis per Veneris res.
atque ex offensu cum turbant corpore in ipso
semina, confundunt inter se concita sensum;
ut si forte manu quamvis iam corporis ipse
tute tibi partem ferias atque experiare.
qua propter longe formas distare necessest
principiis, varios quae possint edere sensus.
Denique quae nobis durata ac spissa videntur,
haec magis hamatis inter sese esse necessest
et quasi ramosis alte compacta teneri.
in quo iam genere in primis adamantina saxa
prima acie constant, ictus contemnere sueta,

et validi silices, ac duri robora ferri,
aeraque quae claustris restantia vociferantur.
illa quidem debent e levibus atque rutundis
esse magis, fluvido quae corpore liquida constant.
namque papaveris haustus itemst facilis quasi aquarum
nec retinentur enim inter se glomeramina quaeque,
et procursus item proclive volubilis exstat.
omnia postremo quae puncto tempore cernis
diffugere, ut fumum nebulas flammasque, necessest,
si minus omnibu' sunt e levibus atque rutundis,
at non esse tamen perplexis indupedita,
pungere uti possint corpus penetrareque sese,
nec tamen haerere inter se quod cumque videmus
ventis esse datum, facile ut cognoscere possis
non e perplexis sed acutis esse elementis.
sed quod amara vides eadem quae fluvida constant,
sudor uti maris est, minime mirabile debet

. . . .

nam quod fluvidus est, e levibus atque rutundis
est, *et squalida sunt illis* admixta doloris
corpora. nec tamen haec retineri hamata necessumst:
scilicet esse globosa tamen, cum squalida constent,
provolvi simul ut possint et laedere sensus.
et quo mixta putes magis aspera levibus esse
principiis, unde est Neptuni corpus acerbum,
est ratio secernendi seorsumque videndi:
linquit enim supera taetri primordia viri
umor dulcis, ubi per terras crebrius idem
percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat,
aspera quo magis in terris haerescere possint.
Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
finita variare figurarum ratione.
quod si non ita sit, rursum iam semina quaedam
esse infinito debebunt corporis auctu.
namque eadem unius cuiusvis in brevitate
corporis inter se multum variare figurae
non possunt. fac enim minimis e partibus esse

corpora prima tribus, vel paulo pluribus auge:
nempe ubi eas partis unius corporis omnis,
summa atque ima locans, transmutans dextera laevis,
omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
formai speciem totius corporis eius,
quod superest, si forte voles variare figuras,
addendum partis alias erit. inde sequetur,
adsimili ratione alias ut postulet ordo,
si tu forte voles etiam variare figuras.
ergo formarum novitatem corporis augmen
subsequitur. quare non est ut credere possis
esse infinitis distantia semina formis,
ne quaedam cogas inmani maximitate
esse, supra quod iam docui non posse probari.
iam tibi barbaricae vestes Meliboeaque fulgens
purpura Thessalico concharum tacta colore
caudaque pavonum ridenti imbuta lepore
caeca novo rerum superata colore iacerent
et contemptus odor smyrnae mellisque sapores,
et cycnea mele Phoebeaque daedala chordis
carmina consimili ratione oppressa silerent:
namque aliis aliud praestantius exoreretur.
cedere item retro possent in deteriores
omnia sic partis, ut diximus in melioris:
namque aliis aliud retro quoque taetrius esset
naribus auribus atque oculis orisque sapori.
quae quoniam non sunt, *sed* rebus reddita certa
finis utrimque tenet summam, fateare necessest
materiem quoque finitis differre figuris.
denique ab ignibus ad gelidas iter usque pruinas
finitumst retroque pari ratione remensumst.
ambit enim calor ac frigus, mediique tepores
interutraque iacent explentes ordine summam:
ergo finita distant ratione creata,
ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,
hinc flammis illinc rigidis infesta pruinis.
|| Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum,

inter se simili quae sunt perfecta figura,
infinita cluere. etenim distantia cum sit
formarum finita, necesse est quae similes sint
esse infinitas, aut summam materiai
finitam constare, id quod non esse probavi. ||

*

versibus ostendam corpuscula materiai
ex infinito summam rerum usque tenere,
undique protelo plagarum continuato.
nam quod rara vides magis esse animalia quaedam,
fecundamque minus naturam cernis in illis,
at regione locoque alio terrisque remotis
multa licet genere esse in eo numerumque repleri;
sicut quadripedum cum primis esse videmus
in genere anguimanus elephantos, India quorum
milibus e multis vallo munitur eburno,
ut penitus nequeat penetrari: tanta ferarum
vis est; quarum nos perpauca exempla videmus.
sed tamen id quoque uti concedam, quam lubet esto
unica res quaedam nativo corpore sola,
cui similis toto terrarum *nulla* sit orbi:
infinita tamen nisi erit vis materiai,
unde ea progigni possit concepta, creari
non poterit, neque, quod superest, procrescere alique.
quippe etenim si manticuler finita per omne
corpora iactari unius genitalia rei,
unde ubi qua vi et quo pacto congressa coibunt
materiae tanto in pelago turbaque aliena?
non, ut opinor, habent rationem conciliandi:
sed quasi naufragiis magnis multisque coortis
disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
antemnas, proram, malos, tonsasque natantis,
per terrarum omnis oras fluitantia aplustra
ut videantur et indicium mortalibus edant,
infidi maris insidias virisque dolumque
ut vitare velint, neve ullo tempore credant,

subdola cum ridet placidi pellacia ponti,
sic tibi si finita semel primordia quaedam
constitues, aevom debebunt sparsa per omnem
disiectare aestus diversi materiai,
numquam in concilium ut possint compulsa coire
nec remorari in concilio nec crescere adaucta;
quorum utrumque palam fieri manifesta docet res,
et res progigni et genitas procrescere posse.
esse igitur genere in quovis primordia rerum
infinita palam est, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus itaque exitiales
perpetuo neque in aeternum sepelire salutem,
nec porro rerum genitales auctificique
motus perpetuo possunt servare creata.
sic aequo geritur certamine principiorum
ex infinito contractum tempore bellum.
nunc hic nunc illic superant vitalia rerum,
et superantur item. miscetur funere vagor,
quem pueri tollunt visentis luminis oras:
nec nox ulla diem neque noctem aurora secutast,
quae non audierit mixtos vagitibus aegris
ploratus, mortis comites et funeris atri.
Illud in his obsignatum quoque rebus habere
convenit et memori mandatum mente tenere,
nil esse, in promptu quorum natura videtur,
quod genere ex uno consistat principiorum,
nec quicquam quod non permixto semine constet:
et quodcumque magis vis multas possidet in se
atque potestates, ita plurima principiorum
in sese genera ac varias docet esse figuras.
principio tellus habet in se corpora prima,
unde mare inmensum volventes frigora fontes
adsidue renovent, habet ignes unde oriantur:
nam multis succensa locis ardent sola terrae,
eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae:
tum porro nitidas fruges arbustaque laeta
gentibus humanis habet unde extollere possit,
unde etiam fluvios frondes et pabula laeta

montivago generi possit praebere ferarum.
quare magna deum mater materque ferarum
et nostri genetrix haec dicta est corporis una.
Hanc veteres Graium docti cecinere poëtae
. . . .
sedibus in curru biiugos agitare leones,
aëris in spatio magnam pendere docentes
tellurem, neque posse in terra sistere terram.
adiunxere feras, quia quamvis effera proles
officiis debet molliri victa parentum.
muralique caput summum cinxere corona,
eximiis munita locis quia sustinet urbes;
quo nunc insigni per magnas praedita terras
horrifice fertur divinae matris imago.
hanc variae gentes antiquo more sacrorum
Idaeam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
per terrarum orbem fruges coepisse creari.
gallos attribuunt, quia, numen qui violarint
matris et ingrati genitoribus inventi sint,
significare volunt indignos esse putandos,
vivam progeniem qui in oras luminis edant.
tympana tenta tonant palmis et cymbala circum
concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis,
telaque praeportant, violenti signa furoris,
ingratos animos atque impia pectora volgi
conterrere metu quae possint numini' divae.
ergo cum primum magnas invecta per urbis
munificat tacita mortalis muta salute,
aere atque argento sternunt iter omne viarum,
largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum
floribus umbrantes matrem comitumque catervas.
hic armata manus, Curetas nomine Grai
quos memorant Phrygios, inter se forte *quod armis*
ludunt in numerumque exultant sanguinolenti,
terrificas capitum quatientes momine cristas,
Dictaeos referunt Curetas, qui Iovis illum

vagitum in Creta quondam occultasse feruntur
cum pueri circum puerum pernice chorea
armati in numerum pulsarent aeribus aera,
ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
aeternumque daret matri sub pectore volnus.
propterea magnam matrem armati comitantur,
aut quia significant divam praedicere ut armis
ac virtute velint patriam defendere terram,
praesidioque parent decorique parentibus esse.
quae bene et eximie quamvis disposta ferantur,
longe sunt tamen a vera ratione repulsa.
omnis enim per se divom natura necessest
inmortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe:
nam privata dolore omni, privata periclis,
ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,
nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.
terra quidem vero caret omni tempore sensu,
et quia multarum potitur primordia rerum,
multa modis multis effert in lumina solis.
hic siquis mare Neptunum Cereremque vocare
constituit fruges et Bacchi nomine abuti
mavolt quam laticis proprium proferre vocamen,
concedamus ut hic terrarum dictitet orbem
esse deum matrem, dum vera re tamen ipse
religione animum turpi contingere parcat.
Saepe itaque ex uno tondentes gramina campo
lanigerae pecudes et equorum duellica proles
buceriaeque greges eodem sub tegmine caeli
ex unoque sitim sedantes flumine aquai
dissimili vivont specie, retinentque parentum
naturam et mores generatim quaeque imitantur.
tanta est, in quovis genere herbae, materiai
dissimilis ratio, tanta est in flumine quoque.
hinc porro quamvis animantem ex omnibus unam
ossa cruor venae calor umor viscera nervi
constituunt, quae sunt porro distantia longe,
dissimili perfecta figura principiorum.

tum porro quaecumque igni flammata cremantur,
si nil praeterea, tamen haec in corpore cludunt,
unde ignem iacere et lumen summittere possint
scintillasque agere ac late differre favillam.
cetera consimili mentis ratione peragrans
invenies igitur multarum semina rerum
corpore celare et varias cohibere figuras.
denique multa vides, quibus et color et sapor una
reddita sunt cum odore, in primis pleraque dona
. . . .
haec igitur variis debent constare figuris:
nidòr enim penetrat qua fucus non it in artus,
fucus item sorsum, sorsum sapor insinuatur
sensibus; ut noscas privis differe figuris.
dissimiles igitur formae glomeramen in unum
conveniunt, et res permixto semine constant.
quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis,
cum tamen inter se versus ac verba necesse est
confiteare alia ex aliis constare elementis;
non quo multa parum communis littera currat
aut nulli inter se duo sint ex omnibus idem,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
sic aliis in rebus item communia multa
multarum rerum cum sint primordia, verum
dissimili tamen inter se consistere summa
possunt; ut merito ex aliis constare feratur
humanum genus et fruges arbustaque laeta.
Nec tamen omnimodis conecti posse putandum est
omnia: nam volgo fieri portenta videres,
semiferas hominum species existere, et altos
interdum ramos egigni corpore vivo,
multaque conecti terrestria membra marinis,
tum flammam taetro spirantis ore Chimaeras
pascere naturam per terras omniparentis.
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
seminibus certis certa genetrice creata
conservare genus crescentia posse videmus.

scilicet, id certa fieri ratione necessust.
nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus
corpora discedunt conexaque convenientis
efficiunt motus: at contra aliena videmus
reicere in terras naturam, multaque caecis
corporibus fugiunt e corpore, percita plagis,
quae neque conecti quoquam potuere neque in se
vitalis motus consentire atque imitari.
sed ne forte putes animalia sola teneri
legibus hisce, eadem ratio disterminat omne.
nam veluti tota natura dissimiles sunt
inter se genitae res quaeque, ita quamque necessest
dissimili constare figura principiorum;
non quo multa parum simili sint praedita forma,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent:
semina cum porro distent, differre necessust
intervalla, vias, conexus, pondera, plagas,
concursus, motus; quae non animalia solum
corpora seiungunt, sed terras ac mare totum
secernunt caelumque a terris omne retentant.
Nunc age dicta meo dulci quaesita labore
percipe, ne forte haec albis ex alba rearis
principiis esse, ante oculos quae candida cernis,
aut ea quae nigrant nigro de semine nata;
nive alium quemvis, quo sunt inbuta colore,
propterea gerere hunc credas, quod materiai
corpora consimili sint eius tincta colore:
nullus enim color est omnino materiai
corporibus, neque par rebus neque denique dispar.
in quae corpora si nullus tibi forte videtur
posse animi iniectus fieri, procul avius erras.
nam cum caecigeni, solis qui lumina numquam
dispexere, tamen cognoscant corpora tactu,
scire licet nostrae quoque menti corpora posse
vorti in notitiam nullo circum lita fuco.
denique nos ipsi caecis quaecumque tenebris
tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo

ex ineunte aevo nullo coniuncta colore.
omnis enim color omnino mutatur in omnis;
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde colore cave contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Praeterea si nulla coloris principiis est
reddita natura et variis sunt praedita formis,
e quibus omne genus gignunt variantque colores
propterea, magni quod refert semina quaeque
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
perfacile extemplo rationem reddere possis,
cur ea quae nigro fuerint paulo ante colore,
marmoreo fieri possint candore repente;
ut mare, cum magni commorunt aequora venti,
vertitur in canos candenti marmore fluctus:
dicere enim possis, nigrum quod saepe videmus,
materies ubi permixta est illius et ordo
principiis mutatus et addita demptaque quaedam,
continuo id fieri ut candens videatur et album.
quod si caeruleis constarent aequora ponti
seminibus, nullo possent albescere pacto:
nam quocumque modo perturbes caerula quae sint,
numquam in marmoreum possunt migrare colorem.
sin alio atque alio sunt semina tincta colore,
quae maris efficiunt unum purumque nitorem,
ut saepe ex aliis formis variisque figuris
efficitur quiddam quadratum unaque figura,
conveniebat, ut in quadrato cernimus esse
dissimiles formas, ita cernere in aequore ponti
aut alio in quovis uno puroque nitore
dissimiles longe inter se variosque colores.
praeterea nil officiunt obstantque figurae
dissimiles, quo quadratum minus omne sit extra;

at varii rerum inpediunt prohibentque colores,
quo minus esse uno possit res tota nitore.
Tum porro quae ducit et inlicit ut tribuamus
principiis rerum nonnumquam causa colores,
occidit, ex albis quoniam non alba creantur,
nec quae nigra cluent de nigris, sed variis ex.
quippe etenim multo proclivius exorientur
candida de nullo quam nigro nata colore,
aut alio quovis, qui contra pugnet et obstet.
Praeterea quoniam nequeunt sine luce colores
esse, neque in lucem existunt primordia rerum,
scire licet quam sint nullo velata colore:
qualis enim caecis poterit color esse tenebris?
lumine quin ipso mutatur propterea quod
recta aut obliqua percussus luce refulgit;
pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
quae sita cervices circum collumque coronat:
namque alias fit uti claro sit rubra pyropo,
interdum quodam sensu fit uti videatur
inter curalium viridis miscere zmaragdos.
caudaque pavonis, larga cum luce repleta est,
consimili mutat ratione obversa colores;
qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
scire licet, sine eo fieri non posse putandum est.
et quoniam plagae quoddam genus excipit in se
pupula, cum sentire colorem dicitur album,
atque aliud porro, nigrum cum et cetera sentit,
nec refert ea quae tangas quo forte colore
praedita sint, verum quali magis apta figura,
scire licet nil principiis opus esse colores,
sed variis formis variantes edere tactus.
Praeterea quoniam non certis certa figuris
est natura coloris et omnia principiorum
formamenta queunt in quovis esse nitore,
cur ea quae constant ex illis non pariter sunt
omne genus perfusa coloribus in genere omni?
conveniebat enim corvos quoque saepe volantis
ex albis album pinnis iactare colorem,

et nigros fieri nigro de semine cycnos
aut alio quovis uno varioque colore.
Quin etiam quanto in partes res quaeque minutas
distrahitur magis, hoc magis est ut cernere possis
evanescere paulatim stinguique colorem;
ut fit ubi in parvas partis discerpitur usu
purpura, poeniceusque color clarissimu' multo,
filatim cum distracta est, dispergitur omnis;
noscere ut hinc possis prius omnem efflare colorem
particulas, quam discedant ad semina rerum.
Postremo quoniam non omnia corpora vocem
mittere concedis neque odorem, propterea fit
ut non omnibus adtribuas sonitus et odores:
sic oculis quoniam non omnia cernere quimus,
scire licet quaedam tam constare orba colore
quam sine odore ullo quaedam sonituque remota,
nec minus haec animum cognoscere posse sagacem
quam quae sunt aliis rebus privata notare.
Sed ne forte putes solo spoliata colore
corpora prima manere, etiam secreta teporis
sunt ac frigoris omnino calidique vaporis,
et sonitu sterila et suco ieiuna feruntur,
nec iaciunt ullum proprio de corpore odorem.
sicut amaracini blandum stactaeque liquorem
et nardi florem, nectar qui naribus halat,
cum facere instituas, cum primis quaerere par est,
quoad licet ac potis es reperire, inolentis olivi
naturam, nullam quae mittat naribus auram,
quam minime ut possit mixtos in corpore odores
concoctosque suo contractans perdere viro,
propter eandem *rem* debent primordia rerum
non adhibere suum gignundis rebus odorem,
nec sonitum, quoniam nil ab se mittere possunt,
nec simili ratione saporem denique quemquam
nec frigus neque item calidum tepidumque vaporem,
cetera; quae cum ita sunt tamen ut mortalia constent,
molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro,
omnia sint a principiis seiuncta necessest,

inmortalia si volumus subiungere rebus
fundamenta, quibus nitatur summa salutis;
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Nunc ea quae sentire videmus cumque necessest
ex insensilibus tamen omnia confiteare
principiis constare. neque id manufesta refutant
nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt,
sed magis ipsa manu ducunt et credere cogunt
ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
quippe videre licet vivos existere vermes
stercore de taetro, putorem cum sibi nacta est
intempestivis ex imbribus umida tellus;
praeterea cunctas itidem res vertere sese.
vertunt se fluvii frondes et pabula laeta
in pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
naturam, et nostro de corpore saepe ferarum
augescunt vires et corpora pennipotentum.
ergo omnes natura cibos in corpora viva
vertit et hinc sensus animantum procreat omnes,
non alia longe ratione atque arida ligna
explicat in flammas et in ignis omnia versat.
iamne vides igitur magni primordia rerum
referre in quali sint ordine quaeque locata
et commixta quibus dent motus accipiantque?
Tum porro quid id est, animum quod percutit, ipsum
quod movet et varios sensus expromere cogit,
ex insensilibus ne credas sensile gigni?
nimirum, lapides et ligna et terra quod una
mixta tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
illud in his igitur rebus meminisse decebit,
non ex omnibus omnino, quaecumque creant res,
sensile et extemplo me gigni dicere sensus,
sed magni referre ea primum quantula constent,
sensile quae faciunt, et qua sint praedita forma,
motibus ordinibus posituris denique quae sint.
quarum nil rerum in lignis glaebisque videmus:
et tamen haec, cum sunt quasi putrefacta per imbres,
vermiculos pariunt, quia corpora materiai

antiquis ex ordinibus permota nova re
conciliantur ita ut debent animalia gigni.
deinde ea, sensilibus qui sensile posse creari
constituunt, porro ex aliis sentire suëtis
mollia conficiunt: nam sensus iungitur omnis
visceribus nervis venis, quae cuncta videmus
mollia mortali consistere corpore creta.
sed tamen esto iam posse haec aeterna manere:
nempe tamen debent aut sensum partis habere
aut simili totis animalibus esse putari.
at nequeant per se partes sentire necesse est:
nam ratio sensus membrorum respuit omnis,
nec manus a nobis potis est secreta neque ulla
corporis omnino sensum pars sola tenere.
linquitur ut totis animantibus adsimulentur.
sic itidem quae sentimus sentire necessest,
vitali ut possint consentire undique sensu.
qui poterunt igitur rerum primordia dici
et leti vitare vias, animalia cum sint,
atque animalia sint mortalibus una eademque?
quod tamen ut possint, at coetu concilioque
nil facient praeter volgum turbamque animantum,
scilicet, ut nequeunt homines armenta feraeque
inter sese ullam rem gignere conveniundo.
quod si forte suum dimittunt corpore sensum
atque alium capiunt, quid opus fuit adtribui id quod
detrahitur? tum praeterea, quod fugimus ante,
quatenus in pullos animalis vertier ova
cernimus alituum, vermisque effervere, terram
intempestivos quom putor cepit ob imbris,
scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus.
Quod si forte aliquis dicet, dumtaxat, oriri
posse ex non sensu sensum mutabilitate,
aut aliquo tamquam partu quod proditur extra,
huic satis illud erit planum facere atque probare,
non fieri partum nisi concilio ante coacto,
nec quicquam commutari sine conciliatu.
principio nequeunt ullius corporis esse

sensus ante ipsam genitam naturam animantis,
ni mirum, quia materies disiecta tenetur
aëre, fluminibus, terris, aethraque creatis,
nec congressa modo vitalis convenientes
contulit inter se motus, quibus omnicientes
accensi sensus animantem quamque tuentur.
Praeterea quamvis animantem grandior ictus
quam patitur natura, repente adfligit et omnis
corporis atque animi pergit confundere sensus.
dissoluuntur enim positurae principiorum,
et penitus motus vitales inpediuntur,
donec materies, omnis concussa per artus,
vitalis animae nodos a corpore solvit
dispersamque foras per caulas eiecit omnis:
nam quid praeterea facere ictum posse reamur
oblatum, nisi discutere ac dissolvere quaeque?
fit quoque uti soleant minus oblato acriter ictu
reliquïi motus vitalis vincere saepe,
vincere, et ingentis plagae sedare tumultus,
inque suos quicquid rursus revocare meatus,
et quasi iam leti dominantem in corpore motum
discutere, ac paene amissos accendere sensus:
nam quare potius leti iam limine ab ipso
ad vitam possit conlecta mente reverti,
quam quo decursum prope iam siet ire et abire?
propterea, quoniam dolor est, ubi materiai
corpora vi quadam per viscera viva per artus
sollicitata suis trepidant in sedibus intus,
inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas,
scire licet nullo primordia posse dolore
temptari nullamque voluptatem capere ex se;
quandoquidem non sunt, ex ullis principiorum
corporibus, quorum motus novitate laborent
aut aliquem fructum capiant dulcedinis almae:
haut igitur debent esse ullo praedita sensu.
Denique uti possint sentire animalia quaeque,
principiis si iam est sensus tribuendus eorum,
quid, genus humanum propritim de quibu' factumst?

scilicet, et risu tremulo concussa cachinnant
et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque,
multaque de rerum mixtura dicere callent,
et sibi proporro quae sint primordia quaerunt;
quandoquidem totis mortalibus adsimulata
ipsa quoque ex aliis debent constare elementis,
inde alia ex aliis, nusquam consistere ut ausis:
quippe sequar, quodcumque loqui ridereque dices
et sapere, ex aliis eadem haec facientibus ut sit.
quod si delira haec furiosaque cernimus esse,
et ridere potest non ex ridentibu' factus,
et sapere et doctis rationem reddere dictis
non ex seminibus sapientibus atque disertis,
qui minus esse queant ea quae sentire videmus
seminibus permixta carentibus undique sensu?
    Denique caelesti sumus omnes semine oriundi:
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
umoris guttas mater cum terra recepit,
feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,
pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt vitam prolemque propagant;
quapropter merito maternum nomen adepta est.
cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras, et quod missumst ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant.
nec sic interemit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
inde aliis aliud coniungitur, et fit ut omnes
res ita convertant formas mutentque colores
et capiant sensus et puncto tempore reddant,
ut noscas referre eadem primordia rerum
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
neve putes aeterna penes residere potesse
corpora prima, quod in cunctis fluitare videmus
rebus et interdum nasci subitoque perire.
    || Quin etiam refert nostris in versibus ipsis

cum quibus et quali sint ordine quaeque locata.
[namque eadem caelum mare terras flumina solem
significant eadem fruges arbusta animantis]
si non omnia sunt, at multo maxima pars est
consimilis: verum positura discrepitant res.
sic ipsis in rebus item iam materiai
[intervalla vias conexus pondera plagas]
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
nam tibi vementer nova res molitur ad auris
accidere et nova se species ostendere rerum.
sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
difficilis magis ad credendum constet, itemque
nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam,
quod non paulatim mittant mirarier omnes.
suspicito caeli clarum purumque colorem,
quaeque in se cohibet, palantia sidera passim,
lunamque et solis praeclara luce nitorem;
omnia quae nunc si primum mortalibus essent
ex inproviso visu subiecta repente,
quid magis his rebus poterat mirabile dici,
aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
nil, ut opinor: ita haec species miranda fuisset.
quam tibi iam nemo, fessus satiate videndi,
suspicere in caeli dignatur lucida templa!
desine quapropter novitate exterritus ipsa
expuere ex animo rationem, sed magis acri
iudicio perpende, et si tibi vera videntur,
dede manus, aut, si falsum est, accingere contra.
quaerit enim rationem animus, cum summa loci sit
infinita foris haec extra moenia mundi,
quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens
atque animi iactus liber quo pervolet ipse.
Principio nobis in cunctas undique partis
et latere ex utroque *supra* supterque per omne
nulla est finis; uti docui, res ipsaque per se
vociferatur, et elucet natura profundi.

nullo iam pacto veri simile esse putandumst,
undique cum vorsum spatium vacet infinitum
seminaque innumero numero summaque profunda
multimodis volitent aeterno percita motu,
hunc unum terrarum orbem caelumque creatum,
nil agere illa foris tot corpora materiai;
cum praesertim hic sit natura factus, et ipsa
sponte sua forte offensando *ut* semina rerum
multimodis temere in cassum frustraque coacta
tandem coluerunt ea quae convecta repente
magnarum rerum fierent exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum.
quare etiam atque etiam talis fateare necesse est
esse alios alibi congressus materiai,
qualis hic est, avido complexu quem tenet aether.

Praeterea cum materies est multa parata,
cum locus est praesto, nec res nec causa moratur
ulla, geri debent, nimirum, et confieri res.
nunc ex seminibus, si tanta est copia quantam
enumerare aetas animantum non queat omnis,
quis eadem natura manet, quae semina rerum
conicere in loca quaeque queat simili ratione
atque huc sunt coniecta, necesse est confiteare
esse alios aliis terrarum in partibus orbis
et varias hominum gentis et saecla ferarum.

Huc accedit ut in summa res nulla sit una,
unica quae gignatur et unica solaque crescat,
quin aliquoiu' siet saecli permultaque eodem
sint genere. in primis animalibus, inclute Memmi,
invenies sic montivagum genus esse ferarum,
sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
squamigerum pecudes et corpora cuncta volantum.
quapropter caelum simili ratione fatendumst,
terramque et solem, lunam, mare, cetera quae sunt,
non esse unica, sed numero magis innumerali;
quandoquidem vitae depactus terminus alte
tam manet haec, et tam nativo corpore constant,
quam genus omne quod hic generatim rebus abundat.

Quae bene cognita si teneas, natura videtur
libera continuo, dominis privata superbis,
ipsa sua per se sponte omnia dis agere expers.
nam pro, sancta deum tranquilla pectora pace
quae placidum degunt aevom vitamque serenam,
quis regere immensi summam, quis habere profundi
indu manu validas potis est moderanter habenas,
quis pariter caelos omnis convertere et omnis
ignibus aetheriis terras suffire feracis,
omnibus inve locis esse omni tempore praesto,
nubibus ut tenebras faciat caelique serena
concutiat sonitu, tum fulmina mittat et aedis
saepe suas disturbet et in deserta recedens
saeviat, exercens telum, quod saepe nocentes
praeterit exanimatque indignos inque merentes? ||
Multaque post mundi tempus genitale diemque
primigenum maris et terrae solisque coortum
addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
semina, quae magnum iaculando contulit omne;
unde mare et terrae possent augescere, et unde
appareret spatium caeli domus altaque tecta
tolleret a terris procul, et consurgeret aër.
nam sua cuique, locis ex omnibus, omnia plagis
corpora distribuuntur et ad sua saecla recedunt,
umor ad umorem, terreno corpore terra
crescit, et ignem ignes procudunt aëraque *aër*,
donique ad extremam crescendi perfica finem
omnia perduxit rerum natura creatrix;
ut fit ubi nilo iam plus est quod datur intra
vitalis venas quam quod fluit atque recedit.
omnibus his aetas debet consistere rebus:
hic natura suis refrenat viribus auctum.
nam quaecumque vides hilaro grandescere adauctu
paulatimque gradus aetatis scandere adultae,
plura sibi adsumunt quam de se corpora mittunt,
dum facile in venas cibus omnis inditur, et dum
non ita sunt late dispersa, ut multa remittant
et plus dispendi faciant quam vescitur aetas.

nam certe fluere atque recedere corpora rebus
multa manus dandum est: sed plura accedere debent,
donec alescendi summum tetigere cacumen.
inde minutatim vires et robur adultum
frangit et in partem peiorem liquitur aetas.
quippe etenim quanto est res amplior, augmine adempto,
et quo latior est, in cunctas undique partis
plura modo dispargit et ab se corpora mittit,
nec facile in venas cibus omnis diditur ei,
nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
unde queat tantum suboriri ac subpeditare.
iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
sunt et cum externis succumbunt omnia plagis;
quandoquidem grandi cibus aevo denique defit,
nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
corpora conficere et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
expugnata dabunt labem putrisque ruinas:
omnia debet enim cibus integrare novando
et fulcire cibus, *cibus* omnia sustentare,
nequiquam, quoniam nec venae perpetiuntur
quod satis est, neque quantum opus est natura ministrat.
iamque adeo fracta est aetas, effetaque tellus
vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
saecla deditque ferarum ingentia corpora partu.
haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
aurea de caelo demisit funis in arva,
nec mare nec fluctus plangentis saxa crearunt,
sed genuit tellus eadem quae nunc alit ex se.
praeterea nitidas fruges vinetaque laeta
sponte sua primum mortalibus ipsa creavit,
ipsa dedit dulcis fetus et pabula laeta;
quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore,
conterimusque boves et viris agricolarum,
conficimus ferrum, vix arvis suppeditati:
usque adeo parcunt fetus augentque labore.
iamque caput quassans grandis suspirat arator
crebrius, incassum manuum cecidisse labores,

et cum tempora temporibus praesentia confert
praeteritis, laudat fortunas saepe parentis.
tristis item vetulae vitis sator atque vietae
temporis incusat momen, caelumque fatigat,
et crepat, antiquum genus ut pietate repletum
perfacile angustis tolerarit finibus aevom,
cum minor esset agri multo modus ante viritim:
nec tenet omnia paulatim tabescere et ire
ad capulum, spatio aetatis defessa vetusto.

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER TERTIUS.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
qui primus potuisti inlustrans commoda vitae,
te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc
ficta pedum pono pressis vestigia signis,
non ita certandi cupidus quam propter amorem
quod te imitari aveo: quid enim contendat hirundo
cycnis, aut quid nam tremulis facere artubus haedi
consimile in cursu possint et fortis equi vis?
tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis
suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis,
floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
aurea, perpetua semper dignissima vita.
nam simul ac ratio tua coepit vociferari
naturam rerum, divina mente coorta,
diffugiunt animi terrores, moenia mundi
discedunt, totum video per inane geri res.

apparet divum numen sedesque quietae,
quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
aspergunt neque nix acri concreta pruina
cana cadens violat semperque innubilus aether
integit, et large diffuso lumine rident:
omnia suppeditat porro natura, neque ulla
res animi pacem delibat tempore in ullo.
at contra nusquam apparent Acherusia templa,
nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,
sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur.
his ibi me rebus quaedam divina voluptas
percipit atque horror, quod sic natura tua vi
tam manifesta patens ex omni parte retecta est.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam variis distantia formis
sponte sua volitent aeterno percita motu,
quove modo possint res ex his quaeque creari,
hasce secundum res animi natura videtur
atque animae claranda meis iam versibus esse,
et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus,
funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
nam quod saepe homines morbos magis esse timendos
infamemque ferunt vitam quam Tartara leti,
et se scire animae naturam sanguinis esse,
aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
nec prosum quicquam nostrae rationis egere,
hinc licet advertas animum magis omnia laudis
iactari causa quam quod res ipsa probetur.
extorres idem patria longeque fugati
conspectu ex hominum, foedati crimine turpi,
omnibus erumnis adfecti denique vivunt,
et quocumque tamen miseri venere parentant
et nigras mactant pecudes et manibu' divis
inferias mittunt, multoque in rebus acerbis
acrius advertunt animos ad religionem.
quo magis in dubiis hominem spectare periclis

convenit adversisque in rebus noscere qui sit.
nam verae voces tum demum pectore ab imo
eliciuntur, *et* eripitur persona, manet res.
denique avarities et honorum caeca cupido,
quae miseros homines cogunt transcendere fines
iuris et interdum socios scelerum atque ministros
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes, haec vulnera vitae
non minimam partem mortis formidine aluntur.
turpis enim ferme contemptus et acris egestas
semota ab dulci vita stabilique videntur
et quasi iam leti portas cunctarier ante;
unde homines dum se falso terrore coacti,
effugisse volunt longe, longeque remosse,
sanguine civili rem conflant divitiasque
conduplicant avidi, caedem caede accumulantes,
crudeles gaudent in tristi funere fratris,
et consanguineum mensas odere timentque.
consimili ratione ab eodem saepe timore
macerat invidia. ante oculos illum esse potentem,
illum aspectari, claro qui incedit honore,
ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur.
intereunt partim statuarum et nominis ergo.
et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae
percipit humanos odium lucisque videndae,
ut sibi consciscant maerenti pectore letum,
obliti fontem curarum hunc esse timorem,
hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
rumpere et in summa pietatem evertere clade:
nam iam saepe homines patriam carosque parentis
prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.
nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus,
in quo consilium vitae regimenque locatum est,
esse hominis partem nilo minus ac manus et pes
atque oculi partes animantis totius extant.
. . . .
sensum animi certa non esse in parte locatum,
verum habitum quendam vitalem corporis esse,
harmoniam Grai quam dicunt, quod faciat nos
vivere cum sensu, nulla cum in parte siet mens;
ut bona saepe valetudo cum dicitur esse
corporis, et non est tamen haec pars ulla valentis.
sic animi sensum non certa parte reponunt;
magno opere in quo mi diversi errare videntur.
saepe itaque, in promptu corpus quod cernitur, aegret,
cum tamen ex alia laetamur parte latenti:
et retro fit uti contra sit saepe vicissim,
cum miser ex animo laetatur corpore toto;
non alio pacto quam si, pes cum dolet aegri,
in nullo caput interea sit forte dolore.
praeterea molli cum somno dedita membra
effusumque iacet sine sensu corpus onustum,
est aliud tamen in nobis quod tempore in illo
multimodis agitatur et omnis accipit in se
laetitiae motus et curas cordis inanis.
nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis
esse, neque harmonia corpus sentire solere,
principio fit uti detracto corpore multo
saepe tamen nobis in membris vita moretur:
atque eadem rursum, cum corpora pauca caloris
diffugere forasque per os est editus aër,
deserit extemplo venas atque ossa relinquit;
noscere ut hinc possis non aequas omnia partis
corpora habere neque ex aequo fulcire salutem,
sed magis haec, venti quae sunt calidique vaporis
semina, curare in membris ut vita moretur.
est igitur calor ac ventus vitalis in ipso
corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
quapropter quoniam est animi natura reperta

atque animae quasi pars hominis, redde harmoniai
nomen, ad organicos alto delatum Heliconi;
sive aliunde ipsi porro traxere et in illam
transtulerunt, proprio quae tum res nomine egebat.
quidquid *id* est, habeant: tu cetera percipe dicta.
Nunc animum atque animam dico coniuncta teneri
inter se atque unam naturam conficere ex se,
sed caput esse quasi et dominari in corpore toto
consilium, quod nos animum mentemque vocamus.
idque situm media regione in pectoris haeret.
hic exultat enim pavor ac metus, haec loca circum
laetitiae mulcent: hic ergo mens animusquest.
cetera pars animae per totum dissita corpus
paret et ad numen mentis momenque movetur.
idque sibi solum per se sapit: *id* sibi gaudet,
cum neque res animam neque corpus commovet una.
et quasi, cum caput aut oculus temptante dolore
laeditur in nobis, non omni concruciamur
corpore, sic animus nonnumquam laeditur ipse
laetitiaque viget, cum cetera pars animai
per membra atque artus nulla novitate cietur:
verum ubi vementi magis est commota metu mens,
consentire animam totam per membra videmus,
sudoresque ita palloremque existere toto
corpore et infringi linguam vocemque aboriri,
caligare oculos, sonere auris, succidere artus,
denique concidere ex animi terrore videmus
saepe homines; facile ut quivis hinc noscere possit
esse animam cum animo coniunctam, quae cum animi vi
percussast, exim corpus propellit et icit.
Haec eadem ratio naturam animi atque animai
corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
corripere ex somno corpus, mutareque vultum
atque hominem totum regere ac versare videtur,
quorum nil fieri sine tactu posse videmus,
nec tactum porro sine corpore, nonne fatendumst
corporea natura animum constare animamque?
praeterea pariter fungi cum corpore et una

consentire animum nobis in corpore cernis.
si minus offendit vitam vis horrida teli
ossibus ac nervis disclusis intus adacta,
at tamen insequitur languor terraeque petitus,
saevus et in terra mentis qui gignitur aestus,
interdumque quasi exurgendi incerta voluntas.
ergo corpoream naturam animi esse necessest,
corporeis quoniam telis ictuque laborat.

Is tibi nunc animus quali sit corpore et unde
constiterit pergam rationem reddere dictis.
principio esse aio persuptilem atque minutis
perquam corporibus factum constare. id ita esse
hinc licet advertas animum ut pernoscere possis.
nil adeo fieri celeri ratione videtur,
quam sibi mens fieri proponit et inchoat ipsa:
ocius ergo animus quam res se perciet ulla,
ante oculos quorum in promptu natura videtur:
at quod mobile tanto operest, constare rutundis
perquam seminibus debet perquamque minutis,
momine uti parvo possint inpulsa moveri.
namque movetur aqua et tantillo momine flutat,
quippe volubilibus parvisque creata figuris.
at contra mellis constantior est natura
et pigri latices magis et cunctantior actus:
haeret enim inter se magis omnis materiai
copia, nimirum, quia non tam levibus extat
corporibus neque tam suptilibus atque rutundis.
namque papaveris aura potest suspensa levisque
cogere ut ab summo tibi diffluat altus acervus,
at contra lapidum conlectum Cauru' movere
noenu potest. igitur parvissima corpora pro quam
et levissima sunt, ita mobilitate fruuntur:
at contra quae cumque magis cum pondere magno
asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
nunc igitur quoniam *est* animi natura reperta
mobilis egregie, perquam constare necessest
corporibus parvis et levibus atque rutundis.
quae tibi cognita res in multis, o bone, rebus

utilis invenietur et opportuna cluebit.
haec quoque res etiam naturam dedicat eius,
quam tenui constet textura, quamque loco se
contineat parvo, si possit conglomerari,
quod simul atque hominem leti secura quies est
indepta atque animi natura animaeque recessit,
nil ibi libatum de toto corpore cernas
ad speciem, nil ad pondus: mors omnia praestat,
vitalem praeter sensum calidumque vaporem.
ergo animam totam perparvis esse necessest
seminibus, nexam per venas viscera nervos;
quatenus, omnis ubi e toto iam corpore cessit,
extima membrorum circum caesura tamen se
incolumem praestat nec defit ponderis hilum.
quod genus est, Bacchi cum flos evanuit, aut cum
spiritus unguenti suavis diffugit in auras,
aut aliquo cum iam sucus de corpore cessit:
nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
propterea neque detractum de pondere quicquam,
nimirum, quia multa minutaque semina sucos
efficiunt et odorem in toto corpore rei.
quare etiam atque etiam mentis naturam animaeque
scire licet perquam pauxillis esse creatam
seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.

Nec tamen haec simplex nobis natura putanda est.
tenvis enim quaedam moribundos deserit aura
mixta vapore, vapor porro trahit aëra secum.
nec calor est quisquam, cui non sit mixtus et aer:
rara quod eius enim constat natura, necessest
aëris inter eum primordia multa moveri.
iam triplex animi est igitur natura reperta:
nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum;
nil horum quoniam recipit res posse creare
sensiferos motus, quidam quod manticulantur.
quarta quoque his igitur quaedam natura necessest
adtribuatur: east omnino nominis expers;
qua neque mobilius quicquam neque tenvius exstat,
nec magis e parvis et levibus est elementis;

sensiferos motus quae didit prima per artus.
prima cietur enim, parvis perfecta figuris:
inde calor motus et venti caeca potestas
accipit, inde aër: inde omnia mobilitantur,
concutitur sanguis, tum viscera persentiscunt
omnia, postremis datur ossibus atque medullis
sive voluptas est sive est contrarius ardor.
nec temere huc dolor usque potest penetrare neque acre
permanare malum, quin omnia perturbentur
usque adeo *ut* vitae desit locus atque animai
diffugiant partes per caulas corporis omnis.
sed plerumque fit in summo quasi corpore finis
motibus: hanc ob rem vitam retinere valemus.
Nunc ea quo pacto inter sese mixta quibusque
compta modis vigeant rationem reddere aventem
abstrahit invitum patrii sermonis egestas:
sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
inter enim cursant primordia principiorum
motibus inter se, nil ut secernier unum
possit nec spatio fieri divisa potestas,
sed quasi multae vis unius corporis extant.
quod genus in quovis animantum viscere volgo
est odor et quidam calor et sapor, et tamen ex his
omnibus est unum perfectum corporis augmen.
sic calor atque aër et venti caeca potestas
mixta creant unam naturam, et mobilis illa
vis, initum motus ab se quae dividit ollis,
sensifer unde oritur primum per viscera motus.
nam penitus prorsum latet haec natura subestque,
nec magis hac infra quicquam est in corpore nostro,
atque anima est animae proporro totius ipsa.
quod genus in nostris membris et corpore toto
mixta latens animi vis est animaeque potestas,
corporibus quia de parvis paucisque creatast.
sic tibi nominis haec expers vis, facta minutis
corporibus, latet atque animae quasi totius ipsa
proporrost anima et dominatur corpore toto.
consimili ratione necessest ventus et aër

et calor inter se vigeant commixta per artus,
atque aliis aliud subsit magis emineatque,
ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum,
ne calor ac ventus seorsum seorsumque potestas
aëris interemant sensum diductaque solvant.
est etenim calor ille animo, quem sumit, in ira
cum fervescit et ex oculis micat acribus ardor:
est et frigida multa, comes formidinis, aura,
quae ciet horrorem membris et concitat artus:
est etiam quoque pacati status aëris ille,
pectore tranquillo qui fit voltuque sereno.
sed calidi plus est illis quibus acria corda
iracundaque mens facile effervescit in ira;
quo genere in primis vis est violenta leonum,
pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
nec capere irarum fluctus in pectore possunt.
at ventosa magis cervorum frigida mens est
et gelidas citius per viscera concitat auras,
quae tremulum faciunt membris existere motum.
at natura boum placido magis aëre vivit,
nec nimis irai fax umquam subdita percit
fumida, suffundens caecae caliginis umbra,
nec gelidis torpet telis perfixa pavoris,
interutraque secat cervos saevosque leones.
sic hominum genus est. quamvis doctrina politos
constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
naturae cuiusque animi vestigia prima.
nec radicitus evelli mala posse putandumst,
quin proclivius hic iras decurrat ad acris,
ille metu citius paulo temptetur, at ille
tertius accipiat quaedam clementius aequo.
inque aliis rebus multis differre necessest
naturas hominum varias moresque sequacis;
quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas,
nec reperire figurarum tot nomina quot sunt
principiis, unde haec oritur variantia rerum.
illud in his rebus videor firmare potesse,
usque adeo naturarum vestigia linqui

parvola, quae nequeat ratio depellere nobis,
ut nil inpediat dignam dis degere vitam.

Haec igitur natura tenetur corpore ab omni,
ipsaque corporis est custos et causa salutis:
nam communibus inter se radicibus haerent,
nec sine pernicie divelli posse videntur.
quod genus e thuris glaebis evellere odorem
haud facile est, quin intereat natura quoque eius.
sic animi atque animae naturam corpore toto
extrahere haut facile est, quin omnia dissoluantur.
inplexis ita principiis ab origine prima
inter se fiunt consorti praedita vita,
nec sibi quaeque sine alterius vi posse videtur
corporis atque animi seorsum sentire potestas,
sed communibus inter eas conflatur utrimque
motibus accensus nobis per viscera sensus.
praeterea corpus per se nec gignitur umquam
nec crescit neque post mortem durare videtur.
non enim, ut umor aquae dimittit saepe vaporem,
qui datus est, neque ea causa convellitur ipse,
sed manet incolumis, non, inquam, sic animai
discidium possunt artus perferre relicti,
sed penitus pereunt convulsi conque putrescunt.
ex ineunte aevo sic corporis atque animai
mutua vitalis discunt contagia motus,
maternis etiam membris alvoque reposta,
discidium *ut* nequeat fieri sine peste maloque;
ut videas, quoniam coniunctast causa salutis,
coniunctam quoque naturam consistere eorum.

|| Quod super est, siquis corpus sentire refutat,
atque animam credit permixtam corpore toto
suscipere hunc motum quem sensum nominitamus,
vel manifestas res contra verasque repugnat.
quid sit enim corpus sentire quis adferet umquam,
si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
at dimissa anima corpus caret undique sensu:
perdit enim quod non proprium fuit eius in aevo.
[multaque praeterea perdit cum expellitur aevo]

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
desiperest, contra cum sensus dicat eorum;
[sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas]
fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus,
lumina luminibus quia nobis praepediuntur.
quod foribus non fit: neque enim, quia cernimus ipsi,
ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
praeterea si pro foribus sunt lumina nostra,
iam magis exemptis oculis debere videtur
cernere res animus sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
corporis atque animi primordia, singula privis
adposita, alternis variare, ac nectere membra.
nam cum multo sunt elementa minora animai
quam quibus e corpus nobis et viscera constant,
tum numero quoque concedunt et rara per artus
dissita sunt dumtaxat; ut hoc promittere possis,
quantula priva queant nobis iniecta ciere
corpora sensiferos motus in corpore, tanta
intervalla tenere exordia priva animai.
nam neque pulveris inter dum sentimus adhaesum
corpore nec membris incussam sidere cretam,
nec nebulam noctu neque arani tenvia fila
obvia sentimus, quando obretimur euntes,
nec supera caput eiusdem cecidisse vietam
vestem, nec plumas avium papposque volantis,
qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim,
nec repentis itum cuiusviscumque animantis
sentimus, nec priva pedum vestigia quaeque,
corpore quae in nostro culices et cetera ponunt.
usque adeo prius est in nobis multa ciendum
semina corporibus nostris inmixta per artus,
quam primordia sentiscant concussa animai
et quam in his intervallis tuditantia possint
concursare coire et dissultare vicissim. ||
Et magis est animus vitai claustra coërcens

et dominantior ad vitam quam vis animai.
nam sine mente animoque nequit residere per artus
temporis exiguam partem pars ulla animai,
sed comes insequitur facile et discedit in auras
et gelidos artus in leti frigore linquit.
at manet in vita cui mens animusque remansit.
quamvis est circum caesis lacer undique membris
truncus, adempta anima circum membrisque remota
vivit et aërias vitalis suscipit auras:
si non omnimodis, at magna parte animai
privatus, tamen in vita cunctatur et haeret;
ut, lacerato oculo circum si pupula mansit
incolumis, stat cernundi vivata potestas,
dum modo ne totum corrumpas luminis orbem,
et circum caedas aciem solamque relinquas:
[id quoque enim sine pernicie non fiet eorum]
at si tantula pars oculi media illa peresa est,
occidit extemplo lumen tenebraeque secuntur.
[incolumis quamvis alioqui splendidus orbis]
hoc anima atque animus vincti sunt foedere semper.
Nunc age, nativos animantibus et mortalis
esse animos animasque levis ut noscere possis,
conquisita diu dulcique reperta labore
perpetua pergam disponere carmina vita.
tu fac utrumque uni subiungas nomen eorum,
atque animam verbi causa cum dicere pergam,
mortalem esse docens, animum quoque dicere credas,
quatenus est unum inter se coniunctaque res est.
principio quoniam tenuem constare minutis
corporibus docui multoque minoribus esse
principiis factam quam liquidus umor aquai
aut nebula aut fumus, iam longe mobilitate
praestat et a tenui causa magis icta movetur.
[quippe ubi imaginibus fumi nebulaeque movetur]
quod genus est, somnis sopiti ubi cernimus alte
exhalare vaporem altaria ferreque fumum.
[nam procul hinc dubio nobis simulacra geruntur]
nunc igitur quoniam quassatis undique vasis

diffluere umorem et laticem discedere cernis,
et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
crede animam quoque diffundi multoque perire
ocius et citius dissolvi in corpora prima,
cum semel ex hominis membris ablata recessit:
quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit eius,
quam cohibere nequit conquassatum ex aliqua re
ac rarefactum detracto sanguine venis,
aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo,
corpore qui nostro rarus magis usque liquescit?
Praeterea gigni pariter cum corpore et una
crescere sentimus pariterque senescere mentem.
nam velut infirmo pueri teneroque vagantur
corpore, sic animi sequitur sententia tenvis:
inde ubi robustis adolevit viribus aetas,
consilium quoque maius et auctior est animi vis:
post ubi iam validis quassatum est viribus aevi
corpus et obtusis ceciderunt viribus artus,
claudicat ingenium, delirat lingua, *labat* mens,
omnia deficiunt atque uno tempore desunt.
ergo dissolui quoque convenit omnem animai
naturam, ceu fumus, in altas aëris auras;
quandoquidem gigni pariter pariterque videmus
crescere et, *ut* docui, simul aevo fessa fatisci.
Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
suscipere inmanis morbos durumque dolorem,
sic animum curas acris luctumque metumque;
quare participem leti quoque convenit esse.
quin etiam morbis in corporis avius errat
saepe animus: dementit enim deliraque fatur,
interdumque gravi lethargo fertur in altum
aeternumque soporem oculis nutuque cadenti;
unde neque exaudit voces nec noscere voltus
illorum potis est, ad vitam qui revocantes
circum stant lacrimis rorantes ora genasque.
quare animum quoque dissolui fateare necessest,
quandoquidem penetrant in eum contagia morbi:
nam dolor ac morbus leti fabricator uterquest;

multorum exitio perdocti quod sumus ante.
denique cur, hominem cum vini vis penetravit
acris et in venas discessit diditus ardor,
consequitur gravitas membrorum, praepediuntur
crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
nant oculi, clamor singnltus iurgia gliscunt,
et iam cetera de genere hoc quaecumque secuntur,
cur ea sunt, nisi quod vemens violentia vini
conturbare animam consuevit corpore in ipso?
at quaecumque queunt conturbari inque pediri,
significant, paulo si durior insinuarit
causa, fore ut pereant aevo privata futuro.
quin etiam subito vi morbi saepe coactus
ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus,
desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
inconstanter, et in iactando membra fatigat.
nimirum, quia vis morbi distracta per artus
turbat, agens animam spumat, quasi in aequore salso
ventorum validis fervescunt viribus undae.
exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
adficiuntur, et omnino quod semina vocis
eiciuntur et ore foras glomerata feruntur
qua quasi consuerunt et sunt munita viai.
desipientia fit, quia vis animi atque animai
conturbatur et, ut docui, divisa seorsum
disiectatur eodem illo distracta veneno.
inde ubi iam morbi reflexit causa, reditque
in latebras acer corrupti corporis umor,
tum quasi vaccillans primum consurgit et omnis
paulatim redit in sensus animamque receptat.
haec igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
iactentur miserisque modis distracta laborent,
cur eadem credis sine corpore in aëre aperto
cum validis ventis aetatem degere posse?
et quoniam mentem sanari, corpus ut aegrum,
cernimus et flecti medicina posse videmus,
id quoque praesagit mortalem vivere mentem.

addere enim partis aut ordine traiecere aecumst
aut aliquid prosum de summa detrahere hilum,
commutare animum quicumque adoritur et infit
aut aliam quamvis naturam flectere quaerit.
at neque transferri sibi partis nec tribui vult
inmortale quod est quicquam neque defluere hilum:
nam quodcumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
ergo animus sive aegrescit, mortalia signa
mittit, uti docui, seu flectitur a medicina.
usque adeo falsae rationi vera videtur
res occurrere et effugium praecludere eunti,
ancipitique refutatu convincere falsum.
Denique saepe hominem paulatim cernimus ire
et membratim vitalem deperdere sensum;
in pedibus primum digitos livescere et unguis,
inde pedes et crura mori, post inde per artus
ire alios tractim gelidi vestigia leti.
scinditur aeque animae haec quoniam natura nec uno
tempore sincera existit, mortalis habendast.
quod si forte putas ipsam se posse per artus
introsum trahere et partis conducere in unum
atque ideo cunctis sensum deducere membris,
at locus ille tamen, quo copia tanta animai
cogitur, in sensu debet maiore videri;
qui quoniam nusquamst, nimirum, ut diximus *ante*,
dilaniata foras dispargitur, interit ergo.
quin etiam si iam libeat concedere falsum,
et dare posse animam glomerari in corpore eorum,
lumina qui lincunt moribundi particulatim,
mortalem tamen esse animam fateare necesse,
nec refert utrum pereat dispersa per auras
an contracta suis e partibus obbrutescat,
quando hominem totum magis ac magis undique sensus
deficit et vitae minus et minus undique restat.
Et quoniam mens est hominis pars una, loco quae
fixa manet certo, velut aures atque oculi sunt
atque alii sensus qui vitam cumque gubernant,

et veluti manus aut oculus naresve seorsum
secreta ab nobis nequeunt sentire neque esse,
sed tamen in parvo lincuntur tempore tabi,
sic animus per se non quit sine corpore et ipso
esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,
sive aliud quid vis potius coniunctius ei
fingere: quandoquidem conexu corpus adhaeret
denique, corporis atque animi vivata potestas
inter se coniuncta valent vitaque fruuntur:
nec sine corpore enim vitalis edere motus
sola potest animi per se natura nec autem
cassum anima corpus durare et sensibus uti.
scilicet, avolsus radicibus ut nequit ullam
dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto,
sic anima atque animus per se nil posse videtur
nimirum, quia *per* venas et viscera mixtim,
per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni
nec magnis intervallis primordia possunt
libera dissultare, ideo conclusa moventur
sensiferos motus, quos extra corpus in auras
aëris haut possunt post mortem eiecta moveri
propterea quia non simili ratione tenentur:
corpus enim atque animans erit aër, si cohibere
in se animam atque in eos poterit concludere motus,
quos ante in nervis et in ipso corpore agebat.
quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
tegmine et eiectis extra vitalibus auris
dissolui sensus animi fateare necessest
atque animam, quoniam coniunctast causa duobus.
 Denique cum corpus nequeat perferre animai
discidium, quin in taetro tabescat odore,
quid dubitas quin ex imo penitusque coorta
emanarit uti fumus diffusa animae vis,
atque ideo tanta mutatum putre ruina
conciderit corpus, penitus quia mota loco sunt
fundamenta, foras manante anima usque per artus
perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt,
atque foramina? multimodis ut noscere possis

dispertitam animae naturam exisse per artus,
et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
quam prolapsa foras enaret in aëris auras.
quin etiam finis dum vitae vertitur intra,
saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur
ire anima ac toto solui de corpore *velle*,
et quasi supremo languescere tempore voltus,
molliaque exsangui cadere *horrore* omnia membra.
quod genus est, animo male factum cum perhibetur
aut animam liquisse; ubi iam trepidatur et omnes
extremum cupiunt vitae reprehendere vinclum:
conquassatur enim tum mens animàeque potestas
omnis, et haec ipso cum corpore conlabefiunt;
ut gravior paulo possit dissolvere causa.
quid dubitas tandem quin extra prodita corpus
inbecilla foras, in aperto, tegmine dempto,
non modo non omnem possit durare per aevom,
sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
ire foras animam incolumem de corpore toto,
nec prius ad iugulum et supera succedere fauces,
verum deficere in certa regione locatam;
ut sensus alios in parti quemque sua scit
dissolui. quod si inmortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis.
Denique cur animi numquam mens consiliumque
gignitur in capite aut pedibus manibusve, sed unis
sedibus et certis regionibu' pectoris haeret,
si non certa loca ad nascendum reddita cuique
sunt, et ubi quicquid possit durare creatum
atque ita multimodis partitis artubus esse,
membrorum ut numquam existat praeposterus ordo?
usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari
fluminibus solitast neque in igni gignier algor.
Praeterea si inmortalis natura animaist
et sentire potest secreta a corpore nostro,
quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam.

nec ratione alia nosmet proponere nobis
possumus infernas animas Acherunte vagari.
pictores itaque et scriptorum saecla priora
sic animas introduxerunt sensibus auctas.
at neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa
esse potest animae, neque sorsum lingua neque aures:
haud igitur per se possunt sentire neque esse.
Et quoniam toto sentimus corpore inesse
vitalem sensum et totum esse animale videmus,
si subito medium celeri praeciderit ictu
vis aliqua, ut sorsum partem secernat utramque,
dispertita procul dubio quoque vis animai
et discissa simul cum corpore dissicietur.
at quod scinditur et partis discedit in ullas,
scilicet, aeternam sibi naturam abnuit esse.
falciferos memorant currus abscidere membra
saepe ita de subito permixta caede calentis,
ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
decidit abscisum, cum mens tamen atque hominis vis
mobilitate mali non quit sentire dolorem:
et semel in pugnae studio quod dedita mens est,
corpore reliquo pugnam caedesque petessit,
nec tenet amissam laevam cum tegmine saepe
inter equos abstraxe rotas falcesque rapaces,
nec cecidisse alius dextram, cum scandit et instat.
inde alius conatur adempto surgere crure,
cum digitos agitat propter moribundus humi pes.
et caput abscisum calido viventeque trunco
servat humi voltum vitalem oculosque patentis,
donec reliquias animai reddidit omnes.
quin etiam tibi si, lingua vibrante, minanti
serpentem cauda, procero corpore utrimque,
sit libitum in multas partis discidere ferro,
omnia iam sorsum cernes ancisa recenti
volnere tortari et terram conspargere tabo,
ipsam seque retro partem petere ore priorem,
volneris ardenti ut morsu premat icta dolorem.
omnibus esse igitur totas dicemus in illis

particulis animas? at ea ratione sequetur
unam animantem animas habuisse in corpore multas.
ergo divisast ea quae fuit una simul cum
corpore; quapropter mortale utrumque putandumst,
in multas quoniam partis disciditur aeque.
Praeterea si inmortalis natura animai
constat et in corpus nascentibus insinuatur,
cur super ante actam aetatem meminisse nequimus,
nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
nam si tanto operest animi mutata potestas,
omnis ut actarum exciderit retinentia rerum,
non, ut opinor, id a leto iam longiter errat;
quapropter fateare necessest quae fuit ante
interiisse, et quae nunc est nunc esse creatam.
Praeterea si iam perfecto corpore nobis
inferri solitast animi vivata potestas
tum cum gignimur et vitae cum limen inimus,
haud ita conveniebat uti cum corpore et una
cum membris videatur in ipso sanguine cresse,
sed velut in cavea per se sibi vivere solam.
[convenit ut sensu corpus tamen affluat omne]
quod fieri totum contra manifesta docet res:
namque ita conexa est per venas viscera nervos
ossaque, uti dentes quoque sensu participentur;
morsus ut indicat, et gelidai stringor aquai,
et lapis oppressus, subiit si e frugibus, asper.
quare etiam atque etiam neque originis esse putandumst
expertis animas nec leti lege solutas:
nam neque tanto opere adnecti potuisse putandumst
corporibus nostris extrinsecus insinuatas,
nec, tam contextae cum sint, exire videntur
incolumes posse et salvas exsolvere sese
omnibus e nervis atque ossibus articulisque.
quod si forte putas extrinsecus insinuatam
permanare animam nobis per membra solere,
tanto quique magis cum corpore fusa peribit:
quod permanat enim dissolvitur, interit ergo.
dispertitus enim per caulas corporis omnis

- ut cibus, in membra atque artus cum diditur omnis, -
disperit atque aliam naturam sufficit ex se,
sic anima atque animus quamvis integra recens *in*
corpus eunt, tamen in manando dissoluuntur,
dum quasi per caulas omnis diduntur in artus
particulae quibus haec animi natura creatur,
quae nunc in nostro dominatur corpore nata
ex illa quae tum periit partita per artus.
quapropter neque natali privata videtur
esse die natura animae nec funeris expers.
Semina praeterea linquontur, necne, animai
corpore in exanimo? quod si lincuntur et insunt,
haut erit ut merito inmortalis possit haberi,
partibus amissis quoniam libata recessit:
sin ita sinceris membris ablata profugit,
ut nullas partis in corpore liquerit ex se,
unde cadavera rancenti iam viscere vermes
expirant, atque unde animantum copia tanta
exos et exanguis tumidos perfluctuat artus?
quod si forte animas extrinsecus insinuari
vermibus et privas in corpora posse venire
credis, nec reputas cur milia multa animarum
conveniant unde una recesserit, hoc tamen est ut
quaerendum videatur et in discrimen agendum,
utrum tandem animae venentur semina quaeque
vermiculorum ipsaeque sibi fabricentur ubi sint,
an quasi corporibus perfectis insinuentur.
at neque cur faciant ipsae quareve laborent
dicere suppeditat. neque enim, sine corpore cum sunt,
sollicitae volitant morbis alguque fameque:
corpus enim magis his vitiis adfine laborat,
et mala multa animus contagibu' fungitur eius.
sed tamen his esto quamvis facere utile corpus
cui subeant: at qua possint via nulla videtur.
haut igitur faciunt animae sibi corpora et artus.
nec tamen est quidum perfectis insinuentur
corporibus: neque enim poterunt suptiliter esse
conexae, neque consensus contagia fient.

Denique cur acris violentia triste leonum
seminium sequitur, volpes dolus, et fuga cervos,
[a patribus datur et patrius pavor incitat artus]
et iam cetera de genere hoc cur omnia membris
ex ineunte aevo generascunt ingenioque,
si non, certa suo quia semine seminioque
vis animi pariter crescit cum corpore toto?
quod si inmortalis foret et mutare soleret
corpora, permixtis animantes moribus essent,
effugeret canis Hyrcano de semine saepe
cornigeri incursum cervi, tremeretque per auras
aëris accipiter fugiens veniente columba,
desiperent homines, saperent fera saecla ferarum.
illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
inmortalem animam mutato corpore flecti:
quod mutatur enim dissolvitur, interit ergo.
traiciuntur enim partes atque ordine migrant;
quare dissolui quoque debent posse per artus,
denique ut intereant una cum corpore cunctae.
sin animas hominum dicent in corpora semper
ire humana, tamen quaeram cur e sapienti
stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus?
[si non certa suo quia semine seminioque
nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis]
scilicet, in tenero tenerascere corpore mentem
confugient. quod si iam fit, fateare necessest
mortalem esse animam, quoniam mutata per artus
tanto opere amittit vitam sensumque priorem.
quove modo poterit pariter cum corpore quoque
confirmata cupitum aetatis tangere florem
vis animi, nisi erit consors in origine prima?
quidve foras sibi vult membris exire senectis?
an metuit conclusa manere in corpore putri,
et domus aetatis spatio ne fessa vetusto
obruat? at non sunt immortali ulla pericla.
Denique conubia ad Veneris partusque ferarum
esse animas praesto deridiculum esse videtur,
expectare immortalis mortalia membra

innumero numero, certareque praeproperanter
inter se quae prima potissimaque insinuetur;
si non forte ita sunt animarum foedera pacta,
ut quae prima volans advenerit insinuetur
prima, neque inter se contendant viribus hilum.
Denique in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquid crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.
hoc si posset enim, multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
sorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus durare genique.
quare, corpus ubi interiit, periisse necessest
confiteare animam distractam in corpore toto.
quippe etenim mortale aeterno iungere et una
consentire putare et fungi mutua posse
desiperest: quid enim diversius esse putandumst
aut magis inter se disiunctum discrepitansque,
quam mortale quod est inmortali atque perenni
iunctum in concilio saevas tolerare procellas?
[praeterea quaecumque manent aeterna necessest
aut quia sunt solido cum corpore respuere ictus
nec penetrare pati sibi quicquam quod queat artas
dissociare intus partis ut materiai
corpora sunt quorum naturam ostendimus ante
aut ideo durare aetatem posse per omnem
plagarum quia sunt expertia sicut inanest
quod manet intactum neque ab ictu fungitur hilum
aut etiam quia nulla loci sit copia circum
quo quasi res possint discedere dissoluique
sicuti summarum summast aeterna neque extra

quis locus est quo diffugiant neque corpora sunt quae
possint incidere et valida dissolvere plaga]
quod si forte ideo magis immortalis habendast,
quod letalibus ab rebus munita tenetur,
aut quia non veniunt omnino aliena salutis,
aut quia quae veniunt aliqua ratione recedunt
pulsa prius quam quid noceant sentire queamus,
. . . .
praeter enim quam quod morbis cum corporis aegret,
advenit id quod eam de rebus saepe futuris
macerat inque metu male habet curisque fatigat,
praeteritisque male admissis peccata remordent.
adde furorem animi proprium atque oblivia rerum,
adde quod in nigras lethargi mergitur undas.
    Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
quandoquidem natura animi mortalis habetur.
et velut ante acto nil tempore sensimus aegri,
ad confligendum venientibus undique Poenis,
omnia cum belli trepido concussa tumultu
horrida contremuere sub altis aetheris oris,
in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum
omnibus humanis esset terraque marique,
sic, ubi non erimus, cum corporis atque animai
discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti,
scilicet, haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
accidere omnino poterit sensumque movere,
non si terra mari miscebitur et mare caelo.
et si iam nostro sentit de corpore, postquam
distractast, animi natura animaeque potestas,
nil tamen est ad nos, qui comptu coniugioque
corporis atque animae consistimus uniter apti.
nec, si materiem nostram collegerit aetas
post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est,
atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,
pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
interrupta semel cum sit retinentia nostri.
et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
qui fuimus, *neque* iam de illis nos adficit angor.

nam cum respicias inmensi temporis omne
praeteritum spatium, tum motus materiai
multimodis quam sint, facile hoc adcredere possis,
semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta
haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse:
nec memori tamen id quimus reprehendere mente:
inter enim iectast vitai pausa, vageque
deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.
debet enim, misere si forte aegreque futurumst,
ipse quoque esse in eo tum tempore, cui male possit
accidere: id quoniam mors eximit, esseque probet
illum cui possint incommoda conciliari,
scire licet nobis nil esse in morte timendum,
nec miserum fieri qui non est posse, neque hilum
differre ante ullo fuerit iam tempore natus,
mortalem vitam mors cum inmortalis ademit.
Proinde ubi se videas hominem indignarier ipsum,
post mortem fore ut aut putescat corpore posto
aut flammis interfiat malisve ferarum,
scire licet non sincerum sonere, atque subesse
caecum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse
credere se quemquam sibi sensum in morte futurum:
non, ut opinor, enim dat quod promittit et unde,
nec radicitus e vita se tollit et eicit,
sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
vivus enim sibi cum proponit quisque futurum,
corpus uti volucres lacerent in morte feraeque,
ipse sui miseret: neque enim se dividit illim
nec removet satis, a proiecto corpore, et illum
se fingit sensuque suo contaminat astans:
hinc indignatur se mortalem esse creatum,
nec videt in vera nullum fore morte alium se,
qui possit vivus sibi se lugere peremptum,
stansque iacentem *se* lacerari urive dolere.
nam si in morte malumst malis morsuque ferarum
tractari, non invenio qui non sit acerbum
ignibus inpositum calidis torrescere flammis,
aut in melle situm suffocari atque rigere

frigore, cum summo gelidi cubat aequore saxi,
urgerive superne obtritum pondere terrae.
'Iam iam non domus accipiet te laeta, neque uxor
optima nec dulces occurrent oscula nati
praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.
non poteris factis florentibus esse, tuisque
praesidium. misero misere' aiunt 'omnia ademit
una dies infesta tibi tot praemia vitae.'
illud in his rebus non addunt, 'nec tibi earum
iam desiderium rerum super insidet una.'
quod bene si videant animo dictisque sequantur,
dissoluant animi magno se angore metuque.
'tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aevi
quod super est cunctis privatu' doloribus aegris:
at nos horrifico cinefactum te prope busto
insatiabiliter deflevimus, aeternumque
nulla dies nobis merorem e pectore demet.'
illud ab hoc igitur quaerendum est, quid sit amari
tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem,
cur quisquam aeterno possit tabescere luctu.
Hoc etiam faciunt ubi discubuere tenentque
pocula saepe homines et inumbrant ora coronis,
ex animo ut dicant 'brevis hic est fructus homullis:
iam fuerit, neque post umquam revocare licebit.'
tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
quod sitis exurat miseros atque arida torres,
aut aliae cuius desiderium insideat rei.
nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit.
cum pariter mens et corpus sopita quiescunt:
nam licet aeternum per nos sic esse per aevom,
nec desiderium nostri nos adficit ullum:
et tamen haud quaquam nostros tunc illa per artus
longe ab sensiferis primordia motibus errant,
cum correptus homo ex somno se colligit ipse.
multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst;
si minus esse potest quam quod nil esse videmus:
maior enim turbae disiectus materiai
consequitur leto, nec quisquam expergitus exstat,

frigida quem semel est vitai pausa secuta.
Denique si vocem rerum natura repente
mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa,
'quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris
luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
nam gratis*ne* fuit tibi vita ante acta priorque,
et non omnia pertusum congesta quasi in vas
commoda perfluxere atque ingrata interiere:
cur non ut plenus vitae conviva recedis,
aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
sin ea quae fructus cumque es periere profusa,
vitaque in offensust, cur amplius addere quaeris,
rursum quod pereat male et ingratum occidat omne,
non potius vitae finem facis atque laboris?
nam tibi praeterea quod machiner inveniamque,
quod placeat, nil est: eadem sunt omnia semper.
si tibi non annis corpus iam marcet et artus
confecti languent, eadem tamen omnia restant,
omnia si pergas vivendo vincere saecla,
atque etiam potius, si numquam sis moriturus,'
quid respondemus, nisi iustam intendere litem
naturam et veram verbis exponere causam?
grandior hic vero si iam seniorque queratur
atque obitum lamentetur miser amplius aequo,
non merito inclamet magis et voce increpet acri?
'aufer abhinc lacrimas, balatro, et compesce querellas.
omnia perfunctus vitai praemia marces:
sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
inperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
et necopinanti mors ad caput adstitit ante
quam satur ac plenus possis discedere rerum.
nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte,
aequo animoque, agedum, gnatis concede: necessest.'
iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque:
cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
semper, et ex aliis aliud reparare necessest.
nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra
materies opus est, ut crescant postera saecla;

quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur:
nec minus ergo ante haec quam tu cecidere, cadentque.
sic alid ex alio numquam desistet oriri,
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
respice item quam nil ad nos ante acta vetustas
temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.
hoc igitur speculum nobis natura futuri
temporis exponit post mortem denique nostram.
numquid ibi horribile apparet, num triste videtur
quicquam, non omni somno securius exstat?
Atque ea, nimirum, quaecumque Acherunte profundo
prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
nec miser inpendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens:
sed magis in vita divôm metus urget inanis
mortalis, casumque timent quem cuique ferat fors.
nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem,
nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam
perpetuam aetatem possunt reperire profecto.
quamlibet immani proiectu corporis exstet,
qui non sola novem dispessis iugera membris
optineat, sed qui terrai totius orbem,
non tamen aeternum poterit perferre dolorem
nec praebere cibum proprio de corpore semper.
sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem
quem volucres lacerant atque exest anxius angor
aut alia quavis scindunt cuppedine curae.
Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
qui petere a populo fasces saevasque secures
imbibit, et semper victus tristisque recedit.
nam petere imperium, quod inanest nec datur umquam,
atque in eo semper durum sufferre laborem,
hoc est adverso nixantem trudere monte
saxum, quod tamen *e* summo iam vertice rusum
volvitur et plani raptim petit aequora campi.
deinde animi ingratam naturam pascere semper,
atque explere bonis rebus satiareque numquam,
quod faciunt nobis annorum tempora, circum

cum redeunt, fetusque ferunt variosque lepores,
nec tamen explemur vitai fructibus umquam,
hoc, ut opinor, id est, aevo florente puellas
quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et Furiae iam vero, et lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,
quid? neque sunt usquam nec possunt esse profecto:
sed metus in vita poenarum pro male factis
est insignibus insignis, scelerisque luella,
carcer et horribilis de saxo iactu' deorsum,
verbera, carnifices, robur, pix, lammina, taedae;
quae tamen etsi absunt, at mens sibi, conscia factis,
praemetuens adhibet stimulos terretque flagellis,
nec videt interea qui terminus esse malorum
possit nec quae sit poenarum denique finis,
atque eadem metuit magis haec ne in morte gravescant.
hic Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute interdum dicere possis.
'lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.
inde alii multi reges rerumque potentes
occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
stravit iterque dedit legionibus ire per altum
ac pedibus salsas docuit superire lucunas
et contemsit equis insultans murmura ponti,
lumine adempto animam moribundo corpore fudit.
Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror,
ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.
adde repertores doctrinarum atque leporum,
adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
sceptra potitus eadem aliis sopitu' quietest.
denique Democritum postquam matura vetustas
admonuit memores motus languescere mentis,
sponte sua leto caput obvius optulit ipse.
ipse Epicurus iit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnis

restinxit, stellas exortus ut aetherius sol.
tu vero dubitabis et indignabere obire?
mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti,
qui somno partem maiorem conteris aevi,
et vigilans stertis nec somnia cernere cessas,
sollicitamque geris cassa formidine mentem,
nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum
ebrius urgeris multis miser undique curis
atque animi incerto fluitans errore vagaris.'
Si possent homines, proinde ac sentire videntur
pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
e quibus id fiat causis quoque noscere et unde
tanta mali tamquam moles in pectore constet,
haut ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus
quid sibi quisque velit nescire, et quaerere semper
commutare locum, quasi onus deponere possit.
exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
esse domi quem pertaesumst, subitoque *revertit*,
quippe foris nilo melius qui sentiat esse.
currit agens mannos ad villam praecipitanter,
auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:
oscitat extemplo, tetigit cum limina villae,
aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,
aut etiam properans urbem petit atque revisit.
hoc se quisque modo fugit: at quom, scilicet, ut fit,
effugere haut potis est, ingratis haeret et odit
propterea, morbi quia causam non tenet aeger;
quam bene si videat, iam rebus quisque relictis
naturam primum studeat cognoscere rerum,
temporis aeterni quoniam, non unius horae,
ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
aetas, post mortem quae restat cumque manenda.
Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis
quae mala nos subigit vitai tanta cupido?
certa quidem finis vitae mortalibus adstat,
nec devitari letum pote, quin obeamus.
praeterea versamur ibidem atque insumus usque
nec nova vivendo procuditur ulla voluptas:

sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
cetera: post aliud, cum contigit illud, avemus,
et sitis aequa tenet vitai semper hiantis.
posteraque in dubiost fortunam quam vehat aetas,
quidve ferat nobis casus quive exitus instet.
nec prorsum vitam ducendo demimus hilum
tempore de mortis nec delibare valemus,
quo minus esse diu possimus forte perempti.
proinde licet quotvis vivendo condere saecla:
mors aeterna tamen nilo minus illa manebit,
nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
lumine qui finem vitai fecit, et ille,
mensibus atque annis qui multis occidit ante.

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER QUARTUS.

Avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
nam veluti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras, pocula circum,
contingunt mellis dulci flavoque liquore,

ut puerorum aetas inprovida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle;
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum percipis omnem
naturam rerum ac persentis utilitatem. ||

Atque animi quoniam docui natura quid esset
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret
quove modo distracta rediret in ordia prima,
nunc agere incipiam tibi, quod vementer ad has res
attinet, esse ea quae rerum simulacra vocamus;
quae, quasi membranae summo de corpore rerum
dereptae, volitant ultroque citroque per auras,
atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes
terrificant atque in somnis, cum saepe figuras
contuimur miras simulacraque luce carentum,
quae nos horrifice languentis saepe sopore
excierunt; ne forte animas Acherunte reamur
effugere aut umbras inter vivos volitare,
neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
cum corpus simul atque animi natura perempta
in sua discessum dederint primordia cuique.

Dico igitur rerum effigias tenuisque figuras
mittier ab rebus, summo de corpore rerum,
quae quasi membranae vel cortex nominitandast,
quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
cuiuscumque cluet de corpore fusa vagari.
id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
[sed quoniam docui cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam variis distantia formis
sponte sua volitent alterno percita motu
quoque modo possit res ex his quaeque creari]

principio quoniam mittunt in rebus apertis
corpora res multae, partim diffusa solute,
robora ceu fumum mittunt ignesque vaporem,
et partim contexta magis condensaque, ut olim
cum teretis ponunt tunicas aestate cicadae,
et vituli cum membranas de corpore summo
nascentes mittunt, et item cum lubrica serpens
exuit in spinis vestem: nam saepe videmus
illorum spoliis vepres volitantibus auctas:
quae quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
ab rebus mitti, summo de corpore rerum.
nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant
quam quae tenvia sunt, hiscendist nulla potestas;
praesertim cum sint in summis corpora rebus
multa minuta, iaci quae possint ordine eodem
quo fuerint, et formai servare figuram,
et multo citius, quanto minus indupediri
pauca queunt et *quae* sunt prima fronte locata.
nam certe iacere ac largiri multa videmus,
non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
verum de summis ipsum quoque saepe colorem.
et volgo faciunt id lutea russaque vela
et ferrugina, cum, magnis intenta theatris,
per malos volgata trabesque trementia flutant:
namque ibi consessum caveai supter et omnem
scaenai speciem claram variamque deorsum
inficiunt coguntque suo fluitare colore:
et quanto circum mage sunt inclusa theatri
moenia, tam magis haec intus perfusa lepore
omnia conrident correpta luce diei.
ergo lintea de summo cum corpore fucum
mittunt, effigias quoque debent mittere tenvis
res quaeque, ex summo quoniam iaculantur utraque.
sunt igitur iam formarum vestigia certa,
quae volgo volitant suptili praedita filo
nec singillatim possunt secreta videri.
praeterea omnis odor, fumus, vapor, atque aliae res
consimiles, ideo diffusa e rebus abundant,

ex alto quia dum veniunt, extrinsecu' torte
scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
ostia sunt, qua contendant exire coorta.
at contra tenuis summi membrana coloris
cum iacitur, nil est quod eam discerpere possit,
in promptu quoniam est in prima fronte locata.
postremo speculis in aqua splendoreque in omni
quaecumque apparent nobis simulacra, necessest,
quandoquidem simili specie sunt praedita rerum,
ex*cita* imaginibus missis consistere rerum:
[nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant
quam quae tenvia sunt hiscendist nulla potestas]
sunt igitur tenues formarum illis similesque
effigiae, singillatim quas cernere nemo
cum possit tamen, adsiduo crebroque repulsu
reiectae reddunt speculorum ex aequore visum,
nec ratione alia servari posse videntur,
tanto opere ut similes reddantur cuique figurae.
    Nunc age, quam tenui natura constet imago
percipe. et in primis, quoniam primordia tantum
sunt infra nostros sensus tantoque minora
quam quae primum oculi coeptant non posse tueri,
nunc tamen id quoque uti confirmem, exordia rerum
cunctarum quam sint suptilia percipe paucis.
primum animalia sunt iam partim tantula, quorum
tertia pars nulla possit ratione videri.
horum intestinum quodvis quale esse putandumst!
quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus?
quantula sunt! quid praeterea primordia quaeque,
unde anima atque animi constet natura necessumst?
nonne vides quam sint subtilia quamque minuta?
praeterea quaecumque suo de corpore odorem
expirant acrem, panaces, absinthia taetra,
habrotonique graves et tristia centaurea,
quorum unum quidvis leviter si forte duobus



quin potius noscas rerum simulacra vagari

multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu?
|| Sed ne forte putes ea demum sola vagari,
quaecumque ab rebus rerum simulacra recedunt,
sunt etiam quae sponte sua gignuntur et ipsa
constituuntur in hoc caelo, qui dicitur aër,
quae multis formata modis sublime feruntur,
nec speciem mutare suam liquentia cessant
et cuiusque modi formarum vertere in oras;
ut nubes facile interdum concrescere in alto
cernimus et mundi speciem violare serenam,
aëra mulcentes motu: nam saepe Gigantum
ora volare videntur et umbram ducere late,
interdum magni montes avolsaque saxa
montibus anteire et solem succedere praeter,
inde alios trahere atque inducere belua nimbos. ||
Nunc ea quam facili et celeri ratione genantur
perpetuoque fluant ab rebus lapsaque cedant
. . . .
semper enim summum quicquid de rebus abundat,
quod iaculentur. et hoc alias cum pervenit in res,
transit, ut in primis vestem: sed ubi aspera saxa
aut in materiam ligni pervenit, ibi iam
scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
at cum splendida quae constant opposta fuerunt
densaque, ut in primis speculum est, nil accidit horum.
nam neque, uti vestem, potis est transire, neque autem
scindi; quam meminit levor praestare salutem.
quapropter fit ut hinc nobis simulacra redundent.
et quamvis subito, quovis in tempore, quamque
rem contra speculum ponas, apparet imago;
perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
texturas rerum tenuis tenuisque figuras.
ergo multa brevi spatio simulacra genuntur,
ut merito celer his rebus dicatur origo.
et quasi multa brevi spatio summittere debet
lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena,
sic ab rebus item simili ratione necessest
temporis in puncto rerum simulacra ferantur

multa modis multis in cunctas undique partis;
quandoquidem speculum quocumque obvertimus oris
res sibi respondent simili forma atque colore.
|| Praeterea modo cum fuerit liquidissima caeli
tempestas, perquam subito fit turbida foede,
undique uti tenebras omnis Acherunta rearis
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo taetra nimborum nocte coorta
inpendent atrae formidinis ora superne;
quorum quantula pars sit imago dicere nemost
qui possit, neque eam rationem reddere dictis,
in quem quaeque locum diverso momine tendat. ||
Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
et quae mobilitas ollis tranantibus auras
reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
principio persaepe levis res atque minutis
corporibus factas celeris licet esse videre.
in quo iam genere est solis lux et vapor eius
propterea quia sunt e primis facta minutis,
quae quasi cuduntur perque aëris intervallum
non dubitant transire sequenti concita plaga
perque volare mare ac terras caelumque rigare:
suppeditatur enim confestim lumine lumen,
et quasi protelo stimulatur fulgere fulgur.
quapropter simulacra pari ratione necesse est
inmemorabile per spatium transcurrere posse
temporis in puncto, primum quod parvola causa
est procul a tergo quae provehat atque propellat,
deinde quod usque adeo textura praedita rara
mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res
et quasi permanare per aëris intervallum.
praeterea si quae penitus corpuscula rerum
ex altoque foras mittuntur, solis uti lux
ac vapor, haec puncto cernuntur lapsa diei
per totum caeli spatium diffundere sese.

quid quae sunt igitur iam prima fronte parata?
cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,
quod superest, ubi tam volucri levitate ferantur,
quone vides citius debere et longius ire
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant lumina caelum?
hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
quam celeri motu rerum simulacra ferantur,
quod simul ac primum sub diu splendor aquai
ponitur, extemplo caelo stellante serena
sidera respondent in aqua radiantia mundo.
iamne vides igitur quam puncto tempore imago
aetheris ex oris in terrarum accidat oras?
quare etiam atque etiam mitti fateare necessest
corpora quae feriant oculos visumque lacessant:
perpetuoque fluunt certis ab rebus odores;
frigus ut a fluviis, calor ab sole, aestus ab undis
aequoris, exesor moerorum, litora circum:
nec variae cessant voces volitare per auras:
denique in os salsi venit umor saepe saporis,
cum mare versamur propter, dilutaque contra
cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
usque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
fertur et in cunctas dimittitur undique partis,
nec mora nec requies interdatur ulla fluendi,
perpetuo quoniam sentimus et omnia semper.
[cernere odorari licet et sentire sonare]
  Praeterea quoniam manibus tractata figura
in tenebris quaedam cognoscitur esse eadem quae
cernitur in luce et claro candore, necessest
consimili causa tactum visumque moveri.
nunc igitur si quadratum temptamus et id nos
commovet in tenebris, in luci quae poterit res
accidere ad speciem quadrata, nisi eius imago?
esse in imaginibus quapropter causa videtur
cernundi neque posse sine his res ulla videri.
nunc ea quae dico rerum simulacra feruntur
undique et in cunctas iaciuntur didita partis:

verum nos oculis quia solis cèrnere quimus,
propterea fit uti, speciem quo vertimus, omnes
res ibi eam contra feriant forma atque colore.
et quantum quaeque ab nobis res absit, imago
efficit ut videamus et internoscere curat:
nam cum mittitur, extemplo protrudit agitque
aëra qui inter se cumque est oculosque locatus,
isque ita per nostras acies perlabitur omnis
et quasi perterget pupillas atque ita transit.
propterea fit uti videamus quam procul absit
res quaeque. et quanto plus aëris ante agitatur
et nostros oculos perterget longior aura,
tam procul esse magis res quaeque remota videtur
scilicet, haec summe celeri ratione geruntur,
quale sit ut videamus, et una quam procul absit.
illud in his rebus minime mirabile habendumst,
cur, ea quae feriant oculos simulacra videri
singula cum nequeant, res ipsae perspiciantur.
ventus enim quoque paulatim cum verberat et cum
acre fluit frigus, non privam quamque solemus
particulam venti sentire et frigoris eius,
sed magis unorsum, fierique perinde videmus
corpore tum plagas in nostro tamquam aliquae res
verberet atque sui det sensum corporis extra.
praeterea lapidem digito cum tundimus, ipsum
tangimus extremum saxi summumque colorem,
nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
duritiem penitus saxi sentimus in alto.
Nunc age, cur ultra speculum videatur imago
illis, quae reddunt speculorum ex aequore visum,
percipe: nam certe penitus semota videtur.
quod genus illa foris quae vere transpiciuntur,
ianua cum per se transpectum praebet apertum,
multa facitque foris ex aedibus ut videantur:
is quoque enim duplici geminoque fit aëre visus.
primus enim citra postes tum cernitur aër,
inde fores ipsae dextra laevaque secuntur,
post extraria lux oculos perterget et aër

alter, et illa foris quae vere transpiciuntur.
sic ubi se primum speculi proiecit imago,
dum venit ad nostras acies, protrudit agitque
aëra qui inter se cumquest oculosque locatus,
et facit ut prius hunc omnem sentire queamus
quam speculum: sed ubi speculum quoque sensimus ipsum,
continuo a nobis iterum quae fertur imago
pervenit, et nostros oculos reiecta revisit,
atque alium prae se propellens aëra volvit,
et facit ut prius hunc quam se videamus, eoque
distare ab speculo tantum semota videtur.
quare etiam atque etiam minime mirarier est par,
aëribus binis quoniam res confit utraque.
nunc ea quae nobis membrorum dextera pars est,
in speculis fit ut in laeva videatur eo quod
planitiem ad speculi veniens cum offendit imago,
non convertitur incolumis, sed recta retrorsum
sic eliditur, ut siquis, prius arida quam sit
cretea persona, adlidat pilaeve trabive,
atque ea continuo rectam si fronte figuram
servet et elisam retro sese exprimat ipsa.
fiet ita, ante oculus fuerit qui dexter, ut idem
nunc sit laevus, et e laevo sit mutua dexter.
fit quoque de speculo in speculum ut tradatur imago,
quinque etiam *aut* sex ut fieri simulacra suërint.
nam quaecumque retro parte interiore latebunt,
inde tamen, quamvis torte penitusque remota,
omnia per flexos aditus educta licebit
pluribus haec speculis videantur in aedibus esse.
usque adeo speculo in speculum translucet imago,
et cum laeva data est, fit rusum ut dextera fiat,
inde retro rursum redit et convertitur eodem.
quin etiam quaecumque latuscula sunt speculorum
adsimili lateris flexura praedita nostri,
dextera eapropter nobis simulacra remittunt,
aut quia de speculo in speculum transfertur imago,
inde ad nos elisa bis advolat, aut etiam quod
circum agitur, cum venit, imago propterea quod

flexa figura docet speculi convertier ad nos.
indugredi porro pariter simulacra pedemque
ponere nobiscum credas gestumque imitari
propterea quia, de speculi qua parte recedas,
continuo nequeunt illinc simulacra reverti;
omnia quandoquidem cogit natura referri
ac resilire ab rebus ad aequos reddita flexus.
Splendida porro oculi fugitant vitantque tueri:
sol etiam caecat, contra si tendere pergas,
propterea quia vis magnast ipsius, et alte
aëra per purum graviter simulacra feruntur
et feriunt oculos, turbantia composituras.
praeterea splendor quicumque est acer adurit
saepe oculos ideo quod semina possidet ignis
multa, dolorem oculis quae gignunt insinuando.
lurida praeterea fiunt quaecumque tuentur
arquati, quia luroris de corpore eorum
semina multa fluunt simulacris obvia rerum,
multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
quae contage sua palloribus omnia pingunt.
e tenebris autem quae sunt in luce tuemur
propterea quia, cum propior caliginis aër
ater init oculos prior et possedit apertos,
insequitur candens confestim lucidus aër,
qui quasi purgat eos ac nigras discutit umbras
aëris illius: nam multis partibus hic est
mobilior multisque minutior et mage pollens
qui simul atque vias oculorum luce replevit
atque patefecit, quas ante obsederat aër
ater, continuo rerum simulacra secuntur,
quae sita sunt in luce, lacessuntque ut videamus.
quod contra facere in tenebris e luce nequimus
propterea quia posterior caliginis aër
crassior insequitur, qui cuncta foramina complet
obsiditque vias oculorum, ne simulacra
possint ullarum rerum coniecta movere.
quadratasque procul turris cum cernimus urbis,
propterea fit uti videantur saepe rutundae,

angulus optusus quia longe cernitur omnis,
sive etiam potius non cernitur ac perit eius
plaga nec ad nostras acies perlabitur ictus,
aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
cogit hebescere eum crebris offensibus aër.
hoc ubi suffugit sensum simul angulus omnis,
fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuamur:
non tamen ut coram quae sunt vereque rutunda,
sed quasi adumbratim paulum simulata videntur.
umbra videtur item nobis in sole moveri
et vestigia nostra sequi gestumque imitari;
aëra si credis privatum lumine posse
indugredi, motus hominum gestumque sequentem:
nam nil esse potest aliut nisi lumine cassus
aër id quod nos umbram perhibere suëmus.
nimirum, quia terra locis ex ordine certis
lumine privatur solis quacumque meantes
officimus, repletur item quod liquimus eius,
propterea fit uti videatur, quae fuit umbra
corporis, e regione eadem nos usque secuta.
semper enim nova se radiorum lumina fundunt
primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
propterea facile et spoliatur lumine terra,
et repletur item nigrasque sibi abluit umbras.
  Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum.
nam quocumque loco sit lux atque umbra tueri
illorum est: eadem vero sint lumina necne,
umbraque quae fuit hic eadem nunc transeat illuc
an potius fiat paulo quod diximus ante,
hoc animi demum ratio discernere debet,
nec possunt oculi naturam noscere rerum.
proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.
qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur:
quae manet in statione, ea praeter creditur ire.
et fugere ad puppim colles campique videntur,
quos agimus praeter navem velisque volamus.
sidera cessare aetheriis adfixa cavernis
cuncta videntur, et adsiduo sunt omnia motu,

quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
cum permensa suo sunt caelum corpore claro.
solque pari ratione manere et luna videntur
in statione, ea quae ferri res indicat ipsa.
exstant usque procul medio de gurgite montis,
classibus inter quos liber patet exitus ingens:
insula coniunctis tamen ex his una videtur.
atria versari et circumcursare columnae
usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi
desierunt verti, vix ut iam credere possint
non supra sese ruere omnia tecta minari.
iamque rubrum tremulis iubar ignibus erigere alte
cum coeptat natura supraque extollere montes,
quos tibi tum supra sol montis esse videtur
comminus ipse suo contingens fervidus igni,
vix absunt nobis missus bis mille sagittae,
vix etiam cursus quingentos saepe veruti:
inter eos solemque iacent immania ponti
aequora substrata aetheriis ingentibus oris,
interiectaque sunt terrarum milia multa,
quae variae retinent gentes et saecla ferarum.
at conlectus aquae digitum non altior unum,
qui lapides inter sistit per strata viarum,
despectum praebet sub terras inpete tanto,
a terris quantum caeli patet altus hiatus;
nubila dispicere et caelum ut videare videre et
corpora miraclo sub terras abdita caeli.
denique ubi in medio nobis equus acer obhaesit
flumine et in rapidas amnis despeximus undas,
stantis equi corpus transversum ferre videtur
vis et in adversum flumen contrudere raptim,
et quocumque oculos traiecimus omnia ferri
et fluere adsimili nobis ratione videntur.
porticus aequali quamvis est denique ductu
stansque in perpetuum paribus suffulta columnis,
longa tamen parte ab summa cum tota videtur,
paulatim trahit angusti fastigia coni,
tecta solo iungens atque omnia dextera laevis

donec in obscurum coni conduxit acumen.
in pelago nautis ex undis ortus in undis
sol fit uti videatur obire et condere lumen;
quippe ubi nil aliud nisi aquam caelumque tuentur
ne leviter credas labefactari undique sensus.
at maris ignaris in portu clauda videntur
navigia aplustris fractis obnitier undae.
nam quaecumque supra rorem salis edita pars est
remorum, recta est, et recta superne guberna:
quae demersa liquorem obeunt, refracta videntur
omnia converti sursumque supina reverti
et reflexa prope in summo fluitare liquore.
raraque per caelum cum venti nubila portant
tempore nocturno, tum splendida signa videntur
labier adversum nimbos atque ire superne
longe aliam in partem ac vera ratione feruntur.
at si forte oculo manus uni subdita supter
pressit eum, quodam sensu fit uti videantur
omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo,
bina lucernarum florentia lumina flammis,
binaque per totas aedis geminare supellex,
et duplicis hominum facies et corpora bina.
denique cum suavi devinxit membra sopore
somnus et in summa corpus iacet omne quiete,
tum vigilare tamen nobis et membra movere
nostra videmur, et in noctis caligine caeca
cernere censemus solem lumenque diurnum,
conclusoque loco caelum mare flumina montis
mutare et campos pedibus transire videmur,
et sonitus audire, severa silentia noctis
undique cum constent, et reddere dicta tacentes.
cetera de genere hoc miracula multa videmus,
quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt,
nequiquam, quoniam pars horum maxima fallit
propter opinatus animi, quos addimus ipsi,
pro visis ut sint quae non sunt sensibu' visa:
nam nil aegrius est quam res secernere apertas
ab dubiis, animus quas ab se protinus addit.

Denique nil sciri siquis putat, id quoque nescit
an sciri possit, quoniam nil scire fatetur.
hunc igitur contra mittam contendere causam,
qui capite ipse sua in statuit vestigia sese.
et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
quaeram, cum in rebus veri nil viderit ante,
unde sciat quid sit scire et nescire vicissim,
notitiam veri quae res falsique crearit,
et dubium certo quae res differre probarit.
invenies primis ab sensibus esse creatam
notitiem veri, neque sensus posse refelli
nam maiore fide debet reperirier illud,
sponte sua veris quod possit vincere falsa:
quid maiore fide porro quam sensus haberi
debet? an ab sensu falso ratio orta valebit
dicere eos contra, quae tota ab sensibus orta est?
qui nisi sunt veri, ratio quoque falsa fit omnis.
an poterunt oculos aures reprehendere, an aures
tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris,
an confutabunt nares oculive revincent?
non, ut opinor, ita est. nam seorsum cuique potestas
divisast, sua vis cuiquest, ideoque necesse est
et quod molle sit et gelidum fervensve seorsum
et seorsum varios rerum sentire colores,
et quaecumque coloribu' sint coniuncta videre:
seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
nascuntur, sorsum sonitus. ideoque necesse est
non possint alios alii convincere sensus.
nec porro poterunt ipsi reprehendere sese,
aequa fides quoniam debebit semper haberi.
proinde quod in quoquest his visum tempore, verumst.
et si non poterit ratio dissolvere causam,
cur ea quae fuerint iuxtim quadrata, procul sint
visa rutunda, tamen praestat rationis egentem
reddere mendose causas utriusque figurae,
quam manibus manifesta suis emittere quoquam
et violare fidem primam et convellere tota
fundamenta quibus nixatur vita salusque.

non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
praecipitisque locos vitare et cetera quae sint
in genere hoc fugienda, sequi contraria quae sint.
illa tibi est igitur verborum copia cassa
omnis, quae contra sensus instructa paratast.
denique ut in fabrica, si pravast regula prima,
normaque si fallax rectis regionibus exit,
et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,
omnia mendose fieri atque obstipa necesse est
prava cubantia prona supina atque absona tecta,
iam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque
prodita iudiciis fallacibus omnia primis,
sic igitur ratio tibi rerum prava necessest
falsaque sit, falsis quaecumque ab sensibus ortast.
Nunc alii sensus quo pacto quisque suam rem
sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.
Principio auditur sonus et vox omnis, in auris
insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.
corpoream *vocem* quoque enim constare fatendumst
et sonitum, quoniam possunt inpellere sensus.
praeterea radit vox fauces saepe, facitque
asperiora foras gradiens arteria clamor.
quippe, per angustum turba maiore coorta
ire foras ubi coeperunt primordia vocum,
scilicet, expleti quoque ianua raditur oris.
haud igitur dubiumst quin voces verbaque constent
corporeis e principiis, ut laedere possint.
nec te fallit item quid corporis auferat et quid
detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis
perpetuus sermo nigrai noctis ad umbram
aurorae perductus ab exoriente nitore,
praesertim si cum summost clamore profusus.
ergo corpoream vocem constare necessest,
multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
asperitas autem vocis fit ab asperitate
principiorum, et item levor levore creatur:
nec simili penetrant auris primordia forma,

cum tuba depresso graviter sub murmure mugit
et reboat raucum regio cita barbara bombum,
et gelidis cycni nocte oris ex Heliconis
cum liquidam tollunt lugubri voce querellam.
Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
exprimimus rectoque foras emittimus ore,
mobilis articulat verborum daedala lingua,
formaturaque labrorum pro parte figurat.
hoc ubi non longum spatiumst unde una profecta
perveniat vox quaeque, necessest verba quoque ipsa
plane exaudiri discernique articulatim:
servat enim formaturam servatque figuram.
at si interpositum spatium sit longius aequo,
aëra per multum confundi verba necessest
et conturbari vocem, dum transvolat auras.
ergo fit, sonitum ut possis sentire, neque illam
internoscere, verborum sententia quae sit:
usque adeo confusa venit vox inque pedita.
praeterea verbum saepe unum perciet auris
omnibus in populo, missum praeconis ab ore.
in multas igitur voces vox una repente
diffugit, in privas quoniam se dividit auris,
obsignans formam verbi clarumque sonorem.
at quae pars vocum non auris incidit ipsas,
praeterlata perit frustra diffusa per auras:
pars, solidis adlisa, locis reiecta sonorem
reddit et interdum frustratur imagine verbi.
quae bene cum videas, rationem reddere possis
tute tibi atque aliis, quo pacto per loca sola
saxa paris formas verborum ex ordine reddant,
palantis comites cum montis inter opacos
quaerimus et magna dispersos voce ciemus.
sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,
unam cum iaceres: ita colles collibus ipsi
verba repulsantes iterabant docta referri.
haec loca capripedes satyros nymphasque tenere
finitimi fingunt, et faunos esse locuntur,
quorum noctivago strepitu ludoque iocanti

adfirmant volgo taciturna silentia rumpi,
chordarumque sonos fieri, dulcisque querellas,
tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
et genus agricolum late sentiscere, quom Pan
pinea semiferi capitis velamina quassans
unco saepe labro calamos percurrit hiantis,
fistula silvestrem ne cesset fundere musam.
cetera de genere hoc monstra ac portenta loquontur,
ne loca deserta ab divis quoque forte putentur
sola tenere. ideo iactant miracula dictis,
aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne
humanum genus est avidum nimi' miraclorum.
Quod superest, non est mirandum qua ratione,
per loca quae nequeunt oculi res cernere apertas,
haec loca per voces veniant aurisque lacessant,
conloquium clausis foribus quo saepe videmus;
nimirum, quia vox per flexa foramina rerum
incolumis transire potest, simulacra renutant:
perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant,
qualia sunt vitri, species qua travolat omnis.
praeterea partis in cunctas dividitur vox,
ex aliis aliae quoniam gignuntur, ubi una
dissiluit semel in multas exorta, quasi ignis
saepe solet scintilla suos se spargere in ignis.
ergo replentur loca vocibus abdita retro
omnia quae circum subsunt sonituque cientur.
at simulacra viis derectis omnia tendunt
ut sunt missa semel; quapropter cernere nemo
saepem ultra potis est, at voces accipere extra.
et tamen ipsa quoque haec, dum transit clausa *domorum*, <
vox optunditur atque auris confusa penetrat,
et sonitum potius quam verba audire videmur.
Nec, qui sentimus sucum, lingua atque palatum
plusculum habent in se rationis plus operaeve.
principio sucum sentimus in ore, cibum cum
mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquai
siquis forte manu premere ac siccare coëpit.
inde quod exprimimus per caulas omne palati

diditur et rarae perplexa foramina linguae.
hoc ubi levia sunt manantis corpora suci,
suaviter attingunt et suaviter omnia tractant,
umida linguai circum sidentia templa:
at contra pungunt sensum lacerantque coorta,
quanto quaeque magis sunt asperitate repleta.
deinde voluptas est e suco fine palati:
cum vero deorsum per fauces praecipitavit,
nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
nec refert quicquam quo victu corpus alatur,
dummodo quod capias concoctum didere possis
artubus et stomachi umidulum servare tenorem.
  Nunc aliis alius qui sit cibu' suppeditatus
expediam, quareve, aliis quod triste et amarumst,
hoc tamen esse aliis possit perdulce videri,
tantaque in his rebus distantia differitasque,
ut quod ali cibus est aliis fuat acre venenum,
dedicat ut serpens, hominis quae tacta salivis
disperit ac sese mandendo conficit ipsa.
praeterea nobis veratrum est acre venenum,
at capris adipes et coturnicibus auget.
ut quibus id fiat rebus cognoscere possis,
principio meminisse decet quae diximus ante,
semina multimodis in rebus mixta teneri.
porro omnes quaecumque cibum capiunt animantes,
ut sunt dissimiles extrinsecus et generatim
extima membrorum circum caesura coërcet,
proinde ex seminibus constant variante figura.
semina cum porro distent, differre necessest
intervalla viasque, foramina quae perhibemus,
omnibus in membris et in ore ipsoque palato:
esse minora igitur quaedam maioraque debent,
esse triquetra aliis, aliis quadrata necessest,
multa rutunda, modis multis multangula quaedam.
namque figurarum ratio ut motusque reposcunt,
proinde foraminibus debent differre figurae,
et variare viae proinde ac textura coërcet.
hoc ubi quod suave est aliis aliis fit amarum,

illi, cui suave est, levissima corpora debent
contractabiliter caulas intrare palati,
at contra quibus est eadem res intus acerba,
aspera, nimirum, penetrant hamataque fauces.
nunc facile est ex his rebus cognoscere quaeque:
quippe, ubi cui febris bili superante coorta est
aut alia ratione aliquast vis excita morbi,
perturbatur ibi iam totum corpus, et omnes
commutantur ibi positurae principiorum;
ut prius ad sensum quae corpora conveniebant
nunc non conveniant, et cetera sint magis apta,
quae penetrata queunt sensum progignere acerbum.

*

utraque enim sunt in mellis commixta sapore;
id quod iam supera tibi saepe ostendimus ante.
    Nunc age, quo pacto naris adiectus odoris
tangat agam. primum res multas esse necessest
unde fluens volvat varius se fluctus odorum,
et fluere et mitti volgo spargique putandumst:
verum aliis alius magis est animantibus aptus,
dissimilis propter formas. ideoque per auras
mellis apes quamvis longe ducuntur odore,
volturiique cadaveribus: tum fissa ferarum
ungula quo tulerit gressum permissa canum vis
ducit, et humanum longe praesentit odorem
Romulidarum arcis servator, candidus anser.
sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
pabula ducit et a tetro resilire veneno
cogit, eoque modo servantur saecla ferarum.
    Hic odor ipse igitur, naris quicumque lacessit,
est alio ut possit permitti longius alter:
sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum
quam sonitus, quam vox, mitto iam dicere quam res
quae feriunt oculorum acies visumque lacessunt.
errabundus enim tarde venit, ac perit ante
paulatim facilis distractus in aëris auras;

ex alto primum quia vix emittitur ex re:
nam penitus fluere atque recedere rebus odores
significat quod fracta magis redolere videntur
omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta
deinde videre licet maioribus esse creatum
principiis quam vox, quoniam per saxea saepta
non penetrat, qua vox volgo sonitusque feruntur.
quare etiam quod olet non tam facile esse videbis
investigare in qua sit regione locatum:
refrigescit enim cunctando plaga per auras,
nec calida ad sensum decurrunt nuntia rerum.
errant saepe canes itaque et vestigia quaerunt.
|| Nec tamen hoc solis in odoribus atque saporum
in generest, sed item species rerum atque colores
non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
ut non sint aliis quaedam magis acria visu.
quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis
auroram clara consuetum voce vocare,
noenu queunt rabidi contra constare leones
inque tueri: ita continuo meminere fugai,
nimirum, quia sunt gallorum in corpore quaedam
semina, quae cum sunt oculis inmissa leonum,
pupillas interfodiunt acremque dolorem
praebent, ut nequeant contra durare feroces;
cum tamen haec nostras acies nil laedere possint,
aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis
exitus ex oculis liber datur, in remorando
laedere ne possint ex ulla lumina parte. ||
Nunc age, quae moveant animum res accipe, et unde
quae veniunt veniant in mentem percipe paucis.
principio hoc dico, rerum simulacra vagari
multa modis multis in cunctas undique partis
tenvia, quae facile inter se iunguntur in auris,
obvia cum veniunt, ut aranea bratteaque auri.
quippe etenim multo magis haec sunt tenvia textu
quam quae percipiunt oculos visumque lacessunt,
corporis haec quoniam penetrant per rara, cientque
tenvem animi naturam intus sensumque lacessunt.

Centauros itaque et Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum
quorum morte obita tellus amplectitur ossa;
omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
partim sponte suà quae fiunt aëre in ipso,
partim quae variis ab rebus cumque recedunt
et quae confiunt ex horum facta figuris.
nam certe ex vivo Centauri non fit imago,
nulla fuit quoniam talis natura animalis:
verum ubi equi casu atque hominis convenit imago,
haerescit facile extemplo, quod diximus ante,
propter subtilem naturam et tenvia texta.
cetera de genere hoc eadem ratione creantur.
quae cum mobiliter summa levitate feruntur,
ut prius ostendi, facile uno commovet ictu
quaelibet una animum nobis subtilis imago:
tenvis enim mens est et mire mobilis ipsa.
Haec fieri ut memoro, facile hinc cognoscere possis.
quatenus hoc simile est illi, quod mente videmus
atque oculis, simili fieri ratione necesse est.
nunc igitur quoniam docui me forte leonem
cernere per simulacra, oculos quaecumque lacessunt,
scire licet mentem simili ratione moveri,
per simulacra leonem et cetera quae videt aeque
nec minus atque oculi, nisi quod mage tenvia cernit.
nec ratione alia, cum somnus membra profudit,
mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt
haec eadem nostros animos quae cum vigilamus,
usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem
rellicta vita iam mors et terra potitast.
hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
corporis offecti sensus per membra quiescunt
nec possunt falsum veris convincere rebus.
praeterea meminisse iacet languetque sopore,
nec dissentit eum mortis letique potitum
iam pridem, quem mens vivom se cernere credit.
quod superest, non est mirum simulacra moveri
bracchiaque in numerum iactare et cetera membra.

nam fit ut in somnis facere hoc videatur imago:
quippe, ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
scilicet, id fieri celeri ratione putandumst:
tanta est mobilitas et rerum copia tanta,
tantaque sensibili quovis est tempore in uno
copia particularum, ut possit suppeditare.
|| Multaque in his rebus quaeruntur, multaque nobis
clarandumst, plane si res exponere avemus.
quaeritur in primis quare, quod cuique libido
venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum.
anne voluntatem nostram simulacra tuentur,
et simul ac volumus nobis occurrit imago,
si mare, si terra in cordest, si denique caelum?
conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
omnia sub verbone creat natura paratque?
cum praesertim aliis eadem in regione locoque
longe dissimilis animus res cogitet omnis.
quid porro, in numerum procedere cum simulacra
cernimus in somnis et mollia membra movere,
mollia, mobiliter cum alternis bracchia mittunt
et referunt oculis gestum pede convenienti?
scilicet, arte madent simulacra et docta vagantur,
nocturno facere ut possint in tempore ludos.
an magis illud erit verum? quia tempore in uno
[consentimus id est cum vox emittitur una]
tempora multa latent, ratio quae comperit esse,
propterea fit uti quovis in tempore quaeque
praesto sint simulacra locis in quisque parata.
[tanta est mobilitas et rerum copia tanta
hoc ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu prior hic gestum mutasse videtur]
et quia tenvia sunt, nisi se contendit, acute
cernere non potis est animus: proinde omnia quae sunt
praeterea pereunt, nisi *si* quae ad se ipse paravit.
ipse parat sese porro, speratque futurum
ut videat quod consequitur rem quamque: fit ergo.
nonne vides oculos etiam, cum tenvia quae sunt

cernere coeperunt, contendere se atque parare,
nec sine eo fieri posse ut cernamus acute?
et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
si non advertas animum, proinde esse quasi omni
tempore semotum fuerit longeque remotum.
cur igitur mirumst, animus si cetera perdit
praeter quam quibus est in rebus deditus ipse?
deinde adopinamur de signis maxima parvis,
ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi. ||
Fit quoque ut interdum non suppeditetur imago
eiusdem generis, sed femina quae fuit ante,
in manibus vir uti factus videatur adesse,
aut alia ex alia facies aetasque sequatur.
quod ne miremur sopor atque oblivia curant.
|| Illud in his rebus vitium vementer avemus
te effugere, errorem vitareque praemetuenter,
lumina ne facias oculorum clara creata,
prospicere ut possemus, et ut proferre queamus
proceros passus, ideo fastigia posse
surarum ac feminum pedibus fundata plicari,
brachia tum porro validis ex apta lacertis
esse manusque datas utraque *ex* parte ministras,
ut facere ad vitam possemus quae foret usus.
cetera de genere hoc inter quaecumque pretantur,
omnia perversa praepostera sunt ratione,
nil ideo quoniam natumst in corpore ut uti
possemus, sed quod natumst id procreat usum.
nec fuit ante videre oculorum lumina natum,
nec dictis orare prius quam lingua creatast,
sed potius longe linguae praecessit origo
sermonem, multoque creatae sunt prius aures
quam sonus est auditus, et omnia denique membra
ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus:
haud igitur potuere utendi crescere causa.
at contra conferre manu certamina pugnae
et lacerare artus foedareque membra cruore
ante fuit multo quam lucida tela volarent,
et volnus vitare prius natura coëgit

quam daret obiectum parmai laeva per artem.
scilicet, et fessum corpus mandare quieti
multo antiquius est quam lecti mollia strata,
et sedare sitim prius est quam pocula natum.
haec igitur possunt utendi cognita causa
credier, ex usu quae sunt vitaque reperta.
illa quidem seorsum sunt omnia, quae prius ipsa
nata dedere suae post notitiam utilitatis.
quo genere in primis sensus et membra videmus;
quare etiam atque etiam procul est ut credere possis
utilitatis ob officium potuisse creari. ||
|| Illud item non est mirandum, corporis ipsa
quod natura cibum quaerit cuiusque animantis.
quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
multa modis multis docui, sed plurima debent
ex animalibu'; *quae* quia sunt exercita motu,
multa per os exhalantur, cum languida anhelant,
multaque per sudorem ex alto pressa feruntur.
his igitur rebus rarescit corpus et omnis
subruitur natura; dolor quam consequitur rem.
propterea capitur cibus, ut suffulciat artus
et recreet vires interdatus, atque patentem
per membra ac venas ut amorem opturet edendi.
umor item discedit in omnia quae loca cumque
poscunt umorem: glomerataque multa vaporis
corpora, quae stomacho praebent incendia nostro,
dissupat adveniens liquor ac restinguit ut ignem,
urere ne possit calor amplius aridus artus.
sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
abluitur, sic expletur ieiuna cupido. ||
Nunc qui fiat uti passus proferre queamus,
cum volumus, varieque datum sit membra movere,
et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri
corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
dico animo nostro primum simulacra meandi
accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, *quam* mens providit quid velit ante

id quod providet, illius rei constat imago.
ergo animus cum sese ita commovet ut velit ire
inque gredi, ferit extemplo quae in corpore toto,
per membra atque artus, animai dissita vis est:
et facilest factu, quoniam coniuncta tenetur.
inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota
paulatim moles protruditur atque movetur.
praeterea tum rarescit quoque corpus, et aër,
scilicet, ut debet qui semper mobilis extat,
per patefacta venit penetratque foramina largus,
et dispargitur ad partis ita quasque minutas
corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus,
aeque id ut ac navis velis ventoque feratur.
nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
tantula quod tantum corpus corpuscula possunt
contorquere et onus totum convertere nostrum:
quippe etenim ventus suptili corpore tenvis
trudit agens magnam magno molimine navem,
et manus una regit quantovis impete euntem
atque gubernaclum contorquet quolibet unum,
multaque, per trocleas et tympana, pondera magna
commovet atque levi sustollit machina nisu.
Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
inriget atque animi curas e pectore solvat,
suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
tu mihi da tenuis aures animumque sagacem,
ne fieri negites quae dicam posse, retroque
vera repulsanti discedas pectore dicta,
tutemet in culpa cum sis neque cernere possis.
principio somnus fit ubi est distracta per artus
vis animae partimque foras eiecta recessit
et partim contrusa magis concessit in altum:
dissoluuntur enim tum demum membra fluuntque.
nam dubium non est, animai quin opera sit
sensus hic in nobis, quem cum sopor inpedit esse,
tum nobis animam perturbatam esse putandumst

quam daret obiectum parmai laeva per artem.
scilicet, et fessum corpus mandare quieti
multo antiquius est quam lecti mollia strata,
et sedare sitim prius est quam pocula natum.
haec igitur possunt utendi cognita causa
credier, ex usu quae sunt vitaque reperta.
illa quidem seorsum sunt omnia, quae prius ipsa
nata dedere suae post notitiam utilitatis.
quo genere in primis sensus et membra videmus;
quare etiam atque etiam procul est ut credere possis
utilitatis ob officium potuisse creari. ||
|| Illud item non est mirandum, corporis ipsa
quod natura cibum quaerit cuiusque animantis.
quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
multa modis multis docui, sed plurima debent
ex animalibu'; *quae* quia sunt exercita motu,
multa per os exhalantur, cum languida anhelant,
multaque per sudorem ex alto pressa feruntur.
his igitur rebus rarescit corpus et omnis
subruitur natura; dolor quam consequitur rem.
propterea capitur cibus, ut suffulciat artus
et recreet vires interdatus, atque patentem
per membra ac venas ut amorem opturet edendi.
umor item discedit in omnia quae loca cumque
poscunt umorem: glomerataque multa vaporis
corpora, quae stomacho praebent incendia nostro,
dissupat adveniens liquor ac restinguit ut ignem,
urere ne possit calor amplius aridus artus.
sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
abluitur, sic expletur ieiuna cupido. ||
Nunc qui fiat uti passus proferre queamus,
cum volumus, varieque datum sit membra movere,
et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri
corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
dico animo nostro primum simulacra meandi
accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, *quam* mens providit quid velit ante

id quod providet, illius rei constat imago.
ergo animus cum sese ita commovet ut velit ire
inque gredi, ferit extemplo quae in corpore toto,
per membra atque artus, animai dissita vis est:
et facilest factu, quoniam coniuncta tenetur.
inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota
paulatim moles protruditur atque movetur.
praeterea tum rarescit quoque corpus, et aër,
scilicet, ut debet qui semper mobilis extat,
per patefacta venit penetratque foramina largus,
et dispargitur ad partis ita quasque minutas
corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus,
aeque id ut ac navis velis ventoque feratur.
nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
tantula quod tantum corpus corpuscula possunt
contorquere et onus totum convertere nostrum:
quippe etenim ventus suptili corpore tenvis
trudit agens magnam magno molimine navem,
et manus una regit quantovis impete euntem
atque gubernaclum contorquet quolibet unum,
multaque, per trocleas et tympana, pondera magna
commovet atque levi sustollit machina nisu.
Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
inriget atque animi curas e pectore solvat,
suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
tu mihi da tenuis aures animumque sagacem,
ne fieri negites quae dicam posse, retroque
vera repulsanti discedas pectore dicta,
tutemet in culpa cum sis neque cernere possis.
principio somnus fit ubi est distracta per artus
vis animae partimque foras eiecta recessit
et partim contrusa magis concessit in altum:
dissoluuntur enim tum demum membra fluuntque.
nam dubium non est, animai quin opera sit
sensus hic in nobis, quem cum sopor inpedit esse,
tum nobis animam perturbatam esse putandumst

eiectamque foras; non omnem: namque iaceret
aeterno corpus perfusum frigore leti.
quippe, ubi nulla latens animai pars remaneret
in membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,
unde reconflari sensus per membra repente
posset, ut ex igni caeco consurgere flamma?
Sed quibus haec rebus novitas confiat, et unde
perturbari anima et corpus languescere possit,
expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
principio externa corpus de parte necessum est,
aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
tundier atque ab ibus crebro pulsarier ictu,
propterea que fere res omnes aut corio sunt
aut etiam conchis aut callo aut cortice tectae.
interiorem etiam partem spirantibus aër
verberat hic idem, cum ducitur atque reflatur.
quare utrimque secus cum corpus vapulet, et cum
perveniant plagae per parva foramina nobis
corporis ad primas partis elementaque prima,
fit quasi paulatim nobis per membra ruina.
conturbantur enim positurae principiorum
corporis atque animi. fit uti pars inde animai
eiciatur, et introrsum pars abdita cedat,
pars etiam distracta per artus non queat esse
coniuncta inter se neque motu mutua fungi:
inter enim saepit coetus natura viasque:
ergo sensus abit mutatis motibus alte.
et quoniam non est quasi quod suffulciat artus,
debile fit corpus, languescuntque omnia membra,
brachia palpebraeque cadunt, poplitesque cubanti
saepe tamen summittuntur virisque resolvunt.
deinde cibum sequitur somnus, quia, quae facit aër,
haec eadem cibus, in venas dum dictur omnis,
efficit. et multo sopor ille gravissimus exstat,
quem satur aut lassus capias, quia plurima tum se
corpora conturbant magno contusa labore.
fit ratione eadem coniectus partim animai
altior, atque foras eiectus largior eius,

et divisior inter se ac distractior actus.
Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret,
aut quibus in rebus multum sumus ante morati
atque in ea ratione fuit contenta magis mens,
in somnis eadem plerumque videmur obire;
causidici causas agere et componere leges,
induperatores pugnare ac proelia obire,
nautae contractum cum ventis degere bellum,
nos agere hoc autem et naturam quaerere rerum
semper et inventam patriis exponere chartis.
cetera sic studia atque artes plerumque videntur
in somnis animos hominum frustrata tenere.
et quicumque dies multos ex ordine ludis
adsiduas dederunt operas, plerumque videmus,
cum iam destiterunt ea sensibus usurpare,
relicuas tamen esse vias in mente patentis,
qua possint eadem rerum simulacra venire:
per multos itaque illa dies eadem obversantur
ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
cernere saltantis et mollia membra moventis,
et citharae liquidum carmen chordasque loquentis
auribus accipere, et consessum cernere eundem
scenaique simul varios splendere decores.
usque adeo magni refert studium atque voluptas,
et quibus in rebus consuerint esse operati
non homines solum sed vero animalia cuncta.
quippe videbis equos fortis, cum membra iacebunt,
in somnis sudare tamen spirareque semper
et quasi de palma summas contendere viris
aut quasi carceribus patefactis . . . . . .
venantumque canes in molli saepe quiete
iactant crura tamen subito vocesque repente
mittunt et crebro redducunt naribus auras,
ut vestigia si teneant inventa ferarum,
expergefactique secuntur inania saepe
cervorum simulacra, fugae quasi dedita cernant,
donec discussis redeant erroribus ad se.
at consueta domi catulorum blanda propago

discutere et corpus de terra corripere instant
proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.
et quo quaeque magis sunt aspera seminiorum,
tam magis in somnis eadem saevire necessust:
at variae fugiunt volucres pinnisque repente
sollicitant divom nocturno tempore lucos,
accipitres somno in leni si proelia pugnas
edere sunt persectantes visaeque volantes.
porro hominum mentes, magnis qui mortibus edunt
magna, itidem saepe in somnis faciuntque geruntque,
reges expugnant, capiuntur, proelia miscent,
tollunt clamorem, quasi si iugulentur ibidem.
multi depugnant gemitusque doloribus edunt,
et quasi pantherae morsu saevive leonis
mandantur magnis clamoribus omnia complent.
multi de magnis per somnum rebu' loquuntur,
indicioque sui facti persaepe fuere.
multi mortem obeunt. multi, de montibus altis
ut qui praecipitent ad terram corpore toto,
experguntur, et ex somno quasi mentibu' capti
vix ad se redeunt, permoti corporis aestu.
flumen item sitiens aut fontem propter amoenum
adsidet et totum prope faucibus occupat amnem.
puri saepe lacum propter si ac dolia curta
somno devincti credunt se extollere vestem,
totius umorem saccatum corpori' fundunt,
cum Babylonica magnifico splendore rigantur.
tum quibus aetatis freta primitus insinuatur
semen, ubi ipsa dies membris matura creavit,
conveniunt simulacra foris e corpore quodam,
nuntia praeclari voltus pulchrique coloris,
qui ciet inritans loca turgida semine multo,
ut quasi transactis saepe omnibu' rebu' profundant
fluminis ingentis fluctus vestemque cruentent.
Sollicitatur id *in* nobis, quod diximus ante,
semen, adulta aetas cum primum roborat artus.
namque alias aliud res commovet atque lacessit:
ex homine humanum semen ciet una hominis vis.

quod simul atque suis eiectum sedibus exit,
per membra atque artus decedit corpore toto,
in loca conveniens nervorum certa, cietque
continuo partis genitalis corporis ipsas.
inritata tument loca semine, fitque voluntas
eicere id quo se contendit dira lubido,
idque petit corpus, mens unde est saucia amore:
namque omnes plerumque cadunt in vulnus, et illam
emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,
et si comminus est, hostem ruber occupat umor.
sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,
sive puer membris muliebribus hunc iaculatur
seu mulier toto iactans e corpore amorem,
unde feritur, eo tendit, gestitque coire
et iacere umorem in corpus de corpore ductum:
namque voluptatem praesagit muta cupido.
  Haec Venus est nobis: hinc autemst nomen amoris,
hinc illaec. primum Veneris dulcedinis in cor
stillavit gutta, et successit frigida cura:
nam si abest quod aves, praesto simulacra tamen sunt
illius et nomen dulce obversatur ad auris.
sed fugitare decet simulacra et pabula amoris
absterrere sibi atque alio convertere mentem
et iacere umorem conlectum in corpora quaeque,
nec retinere, semel conversum unius amore,
et servare sibi curam certumque dolorem:
ulcus enim vivescit et inveterascit alendo,
inque dies gliscit furor atque aerumna gravescit,
si non prima novis conturbes volnera plagis
volgivagaque vagus Venere ante recentia cures
aut alio possis animi traducere motus.
  Nec Veneris fructu caret is qui vitat amorem,
sed potius quae sunt sine poena commoda sumit:
nam certe purast sanis magis inde voluptas
quam miseris. etenim potiundi tempore in ipso
fluctuat incertis erroribus ardor amantum,
nec constat quid primum oculis manibusque fruantur.
quod petiere, premunt arte, faciuntque dolorem

corporis, et dentes inlidunt saepe labellis,
osculaque adfligunt, quia non est pura voluptas
et stimuli subsunt, qui instigant laedere id ipsum,
quodcumque est, rabies unde illaec germina surgunt.
sed leviter poenas frangit Venus inter amorem,
blandaque refrenat morsus admixta voluptas.
namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
quod fieri contra totum natura repugnat:
unaque res haec est, cuius quo mage plurima habemus,
tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
nam cibus atque umor membris adsumitur intus;
quae quoniam certas possunt obsidere partis,
hoc facile expletur laticum frugumque cupido:
ex hominis vero facie pulchroque colore
nil datur in corpus praeter simulacra fruendum
tenvia; quae mentem spes raptat saepe misella.
ut bibere in somnis sitiens quom quaerit, et umor
non datur, ardorem qui membris stinguere possit,
sed laticum simulacra petit frustraque laborat
in medioque sitit torrenti flumine potans,
sic in amore Venus simulacris ludit amantis,
nec satiare queunt spectando corpora coram,
nec manibus quicquam teneris abradere membris
possunt errantes incerti corpore toto.
denique cum membris conlatis flore fruuntur
aetatis, iam cum praesagit gaudia corpus
atque in eost Venus ut muliebria conserat arva,
adfigunt avide corpus iunguntque salivas
oris et inspirant pressantes dentibus ora,
nequiquam, quoniam nil inde abradere possunt
nec penetrare et abire in corpus corpore toto:
nam facere interdum velle et certare videntur.
usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent,
membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido,
parva fit ardoris violenti pausa parumper:
inde redit rabies eadem et furor ille revisit,

cum sibi quid cupiant ipsi contingere quaerunt,
nec reperire malum id possunt quae machina vincat.
usque adeo incerti tabescunt volnere caeco.
Adde quod absumunt viris pereuntque labore,
adde quod alterius sub nutu degitur aetas.
labitur interea res et Babylonica fiunt,
languent officia atque aegrotat fama vacillans.
argentum et pulchra in pedibus Sicyonia rident,
scilicet, et grandes viridi cum luce zmaragdi
auro includuntur, teriturque thalassina vestis
adsidue et Veneris sudorem exercita potat.
et bene parta patrum fiunt anademata, mitrae,
interdum in pallam atque † alidensia Ciaque vertunt.
eximia veste et victu convivia, lychni,
pocula crebra, unguenta, coronae, serta, parantur,
nequiquam, quoniam medio de fonte leporum
surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat,
aut cum conscius ipse animus se forte remordet
desidiose agere aetatem lustrisque perire,
aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit,
quod cupido adfixum cordi vivescit ut ignis,
aut nimium iactare oculos aliumve tueri
quod putat in voltuque videt vestigia risus.
Atque in amore mala haec proprio summeque secundo
inveniuntur: in adverso vero atque inopi sunt,
prendere quae possis oculorum lumine operto,
innumerabilia; ut melius vigilare sit ante,
qua docui ratione, cavereque ne inliciaris.
nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur,
non ita difficile est quam captum retibus ipsis
exire et validos Veneris perrumpere nodos.
et tamen implicitus quoque possis inque peditus
effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes
et praetermittas animi vitia omnia primum
aut quae corpori' sunt eius, *si* quam petis ac vis.
nam faciunt homines plerumque cupidine caeci
et tribuunt ea quae non sunt his commoda vere.
multimodis igitur pravas turpisque videmus

esse in deliciis summoque in honore vigere.
atque alios alii inrident Veneremque süadent
ut placent, quoniam foedo adflictentur amore,
nec sua respiciunt miseri mala maxima saepe.
nigra melichrus est, inmunda et fetida acosmos,
caesia Palladium, nervosa et lignea dorcas,
parvula, pumilio, chariton mia, tota merum sal,
magna atque inmanis cataplexis plenaque honoris.
balba loqui non quit, traulizi, muta pudens est:
at flagrans, odiosa, loquacula, Lampadium fit.
ischnon eromenion tum fit, cum vivere non quit
prae macie: rhadine verost iam mortua tussi.
at tumida et mammosa Ceres est ipsa ab Iaccho,
simula Silena ac saturast, labeosa philema.
cetera de genere hoc longum est si dicere coner.
sed tamen esto iam quantovis oris honore,
cui Veneris membris vis omnibus exoriatur:
nempe aliae quoque sunt: nempe hac sine viximus ante:
nempe eadem facit, et scimus facere, omnia turpi,
et miseram taetris se suffit odoribus ipsa,
quam famulae longe fugitant furtimque cachinnant.
at lacrimans exclusus amator limina saepe
floribus et sertis operit postisque superbos
unguit amaracino et foribus miser oscula figit;
quem si iam iussu venientem offenderit aura
una modo, causas abeundi quaerat honestas,
et meditata diu cadat alte sumpta querella,
stultitiaeque ibi se damnet, tribuisse quod illi
plus videat quam mortali concedere par est.
nec Veneres nostras hoc fallit; quo magis ipsae
omnia summo opere hos vitae poscaenia celant,
quos retinere volunt adstrictosque esse in amore,
nequiquam, quoniam tu animo tamen omnia possis
protrahere in lucem atque omnis inquirere risus,
et, si bello animost et non odiosa, vicissim
praetermittere *et* humanis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore,
quae conplexa viri corpus cum corpore iungit

et tenet adsuctis umectans oscula labris:
nam facit ex animo saepe, et communia quaerens
gaudia sollicitat spatium decurrere amoris.
nec ratione alia volucres armenta feraeque
et pecudes et equae maribus subsidere possunt,
si non ipsa, quod illorum subat, ardet abundans
natura et Venerem salientum laeta retractat.
nonne vides etiam quos mutua saepe voluptas
vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
in triviis quam saepe canes, discedere aventis,
divorsi cupide summis ex viribu' tendunt,
quom interea validis Veneris compagibus haerent!
quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nossent,
quae iacere in fraudem possent vinctosque tenere.
quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas.
Et commiscendo quom semine forte virili
femina vim vicit subita vi corripuitque,
tum similes matrum materno semine fiunt,
ut patribus patrio. sed quos utriusque figurae
esse vides, iuxtim miscentes vulta parentum,
corpore de patrio et materno sanguine crescunt,
semina cum Veneris stimulis excita per artus
obvia conflixit conspirans mutuus ardor,
et neque utrum superavit eorum nec superatumst.
fit quoque ut interdum similes existere avorum
possint et referant proavorum saepe figuras
propterea quia multa modis primordia multis
mixta suo celant in corpore saepe parentis,
quae patribus patres tradunt ab stirpe profecta:
inde Venus varia producit sorte figuras,
maiorumque refert voltus vocesque comasque;
quandoquidem nilo magis haec *de* semine certo
fiunt quam facies et corpora membraque nobis,
et muliebre oritur patrio de semine saeclum,
maternoque mares existunt corpore creti.
semper enim partus duplici de semine constat,
atque utri similest magis id quodcumque creatur,
eius habet plus parte aequa; quod cernere possis,

sive virum suboles sivest muliebris origo.
Nec divina satum genitalem numina cuiquam
absterrent, pater a gnatis ne dulcibus umquam
appelletur et ut sterili Venere exigat aevom;
quod plerumque putant, et multo sanguine maesti
conspergunt aras adolentque altaria donis,
ut gravidas reddant uxores semine largo,
nequiquam, divom numen sortisque fatigant.
nam steriles nimium crasso sunt semine partim,
et liquido praeter iustum tenuique vicissim.
tenve locis quia non potis est adfigere adhaesum,
liquitur extemplo et revocatum cedit abortu.
crassius his porro quoniam concretius aequo
mittitur, aut non tam prolixo provolat ictu
aut penetrare locos aeque nequit aut penetratum
aegre admiscetur muliebri semine semen.
nam multum harmoniae Veneris differre videntur.
atque alias alii complent magis, ex aliisque
succipiunt aliae pondus magis inque gravescunt.
et multae steriles Hymenaeis ante fuerunt
pluribus, et nactae post sunt tamen unde puellos
suscipere et partu possent ditescere dulci.
et quibus ante domi fecundae saepe nequissent
uxores parere, inventast illis quoque compar
natura, ut possent gnatis munire senectam.
usque adeo magni refert, ut semina possint
seminibus commisceri genitaliter apta,
crassaque conveniant liquidis et liquida crassis.
atque in eo refert quo victu vita colatur:
namque aliis rebus concrescunt semina membris,
atque aliis extenvantur tabentque vicissim.
et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,
id quoque permagni refert: nam more ferarum
quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
concipere uxores, quia sic loca sumere possunt,
pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
nec molles opu' sunt motus uxoribus hilum.
nam mulier prohibet se concipere atque repugnat,

clunibus ipsa viri Venerem si laeta retractat
atque exossato ciet omni pectore fluctus:
eicit enim sulcum recta regione viaque
vomeris, atque locis avertit seminis ictum.
idque sua causa consuerunt scorta moveri,
ne complerentur crebro gravidaeque iacerent,
et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset;
coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.
  Nec divinitus interdum Venerisque sagittis
deteriore fit ut forma muliercula ametur:
nam facit ipsa suis interdum femina factis
morigerisque modis et munde corpore culto,
ut facile insuescat *te* secum degere vitam.
quod superest, consuetudo concinnat amorem:
nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu,
vincitur in longo spatio tamen atque labascit.
nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
umoris longo in spatio pertundere saxa?

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER QUINTUS.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
condere pro rerum maiestate hisque repertis?
quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
pro meritis eius possit, qui talia nobis
pectore parta suo quaesitaque praemia liquit?

nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
dicendum est, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi,
qui princeps vitae rationem invenit eam quae
nunc appellatur sapientia, quique per artem
fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
in tam tranquillo et tam clara luce locavit.
confer enim divina aliorum antiqua reperta.
namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris
vitigeni laticem mortalibus instituisse,
cum tamen his posset sine rebus vita manere,
ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentis:
at bene non poterat sine puro pectore vivi;
quo magis hic merito nobis deus esse videtur,
ex quo nunc etiam per magnas didita gentis
dulcia permulcent animos solacia vitae.
Herculis antistare autem si facta putabis,
longius a vera multo ratione ferere.
quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
ille leonis obesset et horrens Arcadius sus?
denique quid Cretae taurus Lernaeaque pestis
hydra venenatis posset vallata colubris?
quidve tripectora tergemini vis Geryonai
et Diomedis equi spirantes naribus ignem,
Thracam Bistoniasque plagas atque Ismara propter,

. . . .

tanto opere officerent nobis Stymphala colentes?
aureaque Hesperidum servans fulgentia mala,
asper, acerba tuens, immani corpore serpens
arboris amplexus stirpem quid denique obesset
propter Atlanteum litus pelageque severa,
quo neque noster adit quisquam nec barbarus audet?
cetera de genere hoc quae sunt portenta perempta,
si non victa forent, quid tandem viva nocerent?
nil, ut opinor: ita ad satiatem terra ferarum
nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est
per nemora ac montes magnos silvasque profundas;
quae loca vitandi plerumque est nostra potestas.

at nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis
atque pericula tumst ingratis insinuandum!
quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres
sollicitum curae, quantique perinde timores!
quidve superbia spurcitia ac petulantia? quantas
efficiunt clades! quid luxus desidiaeque?
haec igitur qui cuncta subegerit ex animoque
expulerit dictis, non armis, nonne decebit
hunc hominem numero divom dignarier esse?
cum bene praesertim multa ac divinitus ipsis
immortalibu' de divis dare dicta suërit
atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Cuius ego ingressus vestigia dum rationes
persequor ac doceo dictis, quo quaeque creata
foedere sint, in eo quam sit durare necessum
nec validas valeant aevi rescindere leges,
quo genere in primis animi natura reperta est
nativo primum consistere corpore creta
nec posse incolumis magnum durare per aevom,
sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
cernere cum videamur eum quem vita reliquit,
quod superest, nunc huc rationis detulit ordo,
ut mihi mortali consistere corpore mundum
nativomque simul ratio reddunda sit esse;
et quibus ille modis congressus materiai
fundarit terram, caelum, mare, sidera, solem,
lunaique globum; tum quae tellure animantes
extiterint, et quae nullo sint tempore natae;
quove modo genus humanum variante loquella
coeperit inter se vesci per nomina rerum;
et quibus ille modis divom metus insinuarit
pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
fana lacus lucos aras simulacraque divom.
praeterea solis cursus lunaeque meatus
expediam qua vi flectat natura gubernans;
ne forte haec inter caelum terramque reamur
libera sponte sua cursus lustrare perennis,
morigera ad fruges augendas atque animantis,

neve aliqua divom volvi ratione putemus.
nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religiones,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit ratione atque alte terminus haerens.
  Quod superest, ne te in promissis plura moremur,
principio maria ac terras caelumque tuere;
quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
tris species tam dissimilis, tria talia texta,
una dies dabit exitio, multosque per annos
sustentata ruet moles et machina mundi.
nec me animi fallit quam res nova miraque menti
accidat exitium caeli terraeque futurum,
et quam difficile id mihi sit pervincere dictis;
ut fit ubi insolitam rem adportes auribus ante,
nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
nec iacere indu manus, via qua munita fidei
proxima fert humanum in pectus templaque mentis.
sed tamen effabor. dictis dabit ipsa fidem res,
forsitan, et graviter terrarum motibus ortis
omnia conquassari in parvo tempore cernes.
quod procul a nobis flectat fortuna gubernans,
et ratio potius quam res persuadeat ipsa
succidere horrisono posse omnia victa fragore.
  || Qua prius adgrediar quam de re fundere fata
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur,
multa tibi expediam doctis solacia dictis;
religione refrenatus ne forte rearis
terras et solem et caelum, mare sidera lunam,
corpore divino debere aeterna manere,
propterea que putes ritu par esse Gigantum
pendere eos poenas inmani pro scelere omnis,

qui ratione sua disturbent moenia mundi
praeclarumque velint caeli restinguere solem,
inmortalia mortali sermone notantes;
quae procul usque adeo divino a numine distent,
inque deum numero quae sint indigna videri,
notitiam potius praebere ut posse putentur
quid sit vitali motu sensuque remotum.
quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
posse animi natura putetur consiliumque;
sicut in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquid crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.
quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
seorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus formamque animalem
putribus in glebis terrarum aut solis in igni
aut in aqua durare aut altis aetheris oris.
haud igitur constant divino praedita sensu,
quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
  Illud item non est ut possis credere, sedes
esse deum sanctas in mundi partibus ullis.
tenvis enim natura deum longeque remota
sensibus ab nostris animi vix mente videtur;
quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
tactile nil nobis quod sit contingere debet:
tangere enim non quit quod tangi non licet ipsum.
quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent, tenuest si corpu' deorum;
quae tibi posterius largo sermone probabo.
dicere porro hominum causa voluisse parare

praeclaram mundi naturam, proptereaque
adlaudabile opus divom laudare decere
aeternumque putare atque inmortale futurum,
nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta
gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
sollicitare suis ulla vi ex sedibus umquam,
nec verbis vexare et ab imo evertere summa,
cetera de genere hoc adfingere et addere, Memmi,
desiperest. quid enim inmortalibus atque beatis
gratia nostra queat largirier emolumenti,
ut nostra quicquam causa gerere adgrediantur?
quidve novi potuit tanto post ante quietos
inlicere ut cuperent vitam mutare priorem?
at, credo, in tenebris vita ac merore iacebat,
donec diluxit rerum genitalis origo.
nam gaudere novis rebus debere videtur
cui veteres obsunt: sed cui nil accidit aegri
tempore in anteacto, cum pulchre degeret aevom,
quid potuit novitatis amorem accendere tali?
quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
natus enim debet quicumque est velle manere
in vita, donec retinebit blanda voluptas:
qui numquam vero vitae gustavit amorem
nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
exemplum porro gignundis rebus et ipsa
notities hominum dis unde est insita primum,
quid vellent facere ut scirent animoque viderent,
quove modost umquam vis cognita principiorum,
quidque inter sese permutato ordine possent,
si non ipsa dedit specimen natura creandi?
namque ita multa modis multis primordia rerum
ex infinito iam tempore percita plagis
ponderibusque suis consuerunt concita ferri
omnimodisque coire atque omnia pertemptare,
quaecumque inter se possent congressa creare,
ut non sit mirum, si in talis dispossituras
deciderunt quoque et in talis venere meatus,
qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.

Quod *si* iam rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse paratam
naturam rerum: tanta stat praedita culpa.
principio quantum caeli tegit impetus ingens,
inde avide partem montes silvaeque ferarum
possedere, tenent rupes vastaeque paludes
et mare, quod late terrarum distinet oras.
inde duas porro prope partis fervidus ardor
adsiduusque geli casus mortalibus aufert.
quod superest arvi, tamen id natura sua vi
sentibus obducat, ni vis humana resistat
vitai causa valido consueta bidenti
ingemere et terram pressis proscindere aratris
si non fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus,
sponte sua nequeant liquidas existere in auras,
et tamen interdum magno quaesita labore
cum iam per terras frondent atque omnia florent,
aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
aut subiti peremunt imbris gelidaeque pruinae,
flabraque ventorum violento turbine vexant.
praeterea genus horriferum natura ferarum
humanae genti infestum terraque marique
cur alit atque auget? cur anni tempora morbos
adportant? quare mors inmatura vagatur?
tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
vitali auxilio, cum primum in luminis oras
nixibus ex alvo matris natura profudit,
vagituque locum lugubri complet, ut aequumst
cui tantum in vita restet transire malorum.
at variae crescunt pecudes armenta feraeque,
nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibendast
almae nutricis blanda atque infracta loquella,
nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli,
denique non armis opus est, non moenibus altis,

qui sua tutentur, quando omnibus omnia large
tellus ipsa parit naturaque daedala rerum.

Principio quoniam terrai corpus et umor
aurarumque leves animae calidique vapores,
e quibus haec rerum consistere summa videtur,
omnia nativo ac mortali corpore constant,
debet eodem omnis mundi natura putari.
quippe etenim, quorum partis et membra videmus
corpore nativo ac mortalibus esse figuris,
haec eadem ferme mortalia cernimus esse
et nativa simul. quapropter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regigni,
scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus clademque futuram

Illud in his rebus ne corripuisse rearis
me mihi, quod terram atque ignem mortalia sumpsi
esse, neque umorem dubitavi aurasque perire,
atque eadem gigni rursusque augescere dixi,
principio pars terrai nonnulla, perusta
solibus adsiduis, multa pulsata pedum vi,
pulveris exhalat nebulam nubesque volantis,
quas validi toto dispergunt aëre venti.
pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
praeterea pro parte sua, quodcumque alid auget,
redditur: et quoniam dubio procul esse videtur
omniparens eadem rerum commune sepulcrum,
ergo terra tibi libatur et aucta recrescit.

Quod superest, umore novo mare flumina fontes
semper abundare et latices manare perennis
nil opus est verbis: magnus decursus aquarum
undique declarat. sed primum quicquid aquai
tollitur, in summaque fit ut nil umor abundet,
partim quod validi verrentes aequora venti
diminuunt radiisque retexens aetherius sol,
partim quod supter per terras diditur omnis:
percolatur enim virus, retroque remanat
materies umoris et ad caput amnibus omnis

convenit, inde super terras fluit agmine dulci
qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
innumerabiliter privas mutatur in horas.
semper enim, quodcumque fluit de rebus, id omne
aëris in magnum fertur mare; qui nisi contra
corpora retribuat rebus recreetque fluentis,
omnia iam resoluta forent et in aëra versa:
haut igitur cessat gigni de rebus et in res
reccidere, adsidue quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, aetherius sol,
inrigat adsidue caelum candore recenti
suppeditatque novo confestim lumine lumen.
nam primum quicquid fulgoris disperit ei,
quocumque accidit. id licet hinc cognoscere possis,
quod simul ac primum nubes succedere soli
coepere et radios inter quasi rumpere lucis,
extemplo inferior pars horum disperit omnis,
terraque inumbratur qua nimbi cumque feruntur;
ut noscas splendore novo res semper egere,
et primum iactum fulgoris quemque perire,
nec ratione alia res posse in sole videri,
perpetuo ni suppeditet lucis caput ipsum.
quin etiam nocturna tibi, terrestria quae sunt,
lumina, pendentes lychni claraeque coruscis
fulguribus pingues multa caligine taedae
consimili properant ratione, ardore ministro,
suppeditare novom lumen, tremere ignibus instant,
instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit:
usque adeo properanter ab omnibus ignibus ei
exitium celeri celatur origine flammae.
sic igitur solem lunam stellasque putandumst
ex alio atque alio lucem iactare subortu
et primum quicquid flammarum perdere semper;
inviolabilia haec ne credas forte vigere.
Denique non lapides quoque vinci cernis ab aevo,
non altas turris ruere et putrescere saxa,
non delubra deum simulacraque fessa fatisci,

nec sanctum numen fati protollere finis
posse neque adversus naturae foedera niti?
denique non monimenta virum dilapsa videmus,
[quare proporro sibi cumque senescere credas]
non ruere avolsos silices a montibus altis
nec validas aevi vires perferre patique
finiti? neque enim caderent avolsa repente,
ex infinito quae tempore pertolerassent
omnia tormenta aetatis, privata fragore.
Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem
continet amplexu terram: si procreat ex se
omnia, quod quidam memorant, recipitque perempta,
totum nativo ac mortali corpore constat.
nam quodcumque alias ex se res auget alitque,
deminui debet, recreari, cum recipit res.
Praeterea si nulla fuit genitalis origo
terrarum et caeli semperque aeterna fuere,
cur supera bellum Thebanum et funera Troiae
non alias alii quoque res cecinere poëtae?
quo tot facta virum totiens cecidere neque usquam
aeternis famae monimentis insita florent?
verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
naturast mundi neque pridem exordia cepit.
quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur,
nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
multa, modo organici melicos peperere sonores,
denique natura haec rerum ratioque repertast
nuper, et hanc primus cum primis ipse repertus
nunc ego sum in patrias qui possim vertere voces.
quod si forte fuisse antehac eadem omnia credis,
sed periisse hominum torrenti saecla vapore,
aut cecidisse urbis magno vexamine mundi,
aut ex imbribus adsiduis exisse rapaces
per terras amnes atque oppida cooperuisse,
tanto quique magis victus fateare necessest
exitium quoque terrarum caelique futurum:
nam cum res tantis morbis tantisque periclis
temptarentur, ibi si tristior incubuisset

causa, darent late cladem magnasque ruinas.
nec ratione alia mortales esse videmur,
inter nos nisi quod morbis aegrescimus idem
atque illi quos a vita natura removit.
Praeterea quaecumque manent aeterna necessust
aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus
nec penetrare pati sibi quicquam quod queat artas
dissociare intus partis, ut materiai
corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante,
aut ideo durare aetatem posse per omnem,
plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
quod manet intactum neque ab ictu fungitur hilum,
aut etiam quia nulla loci fit copia circum,
quo quasi res possint discedere dissoluique,
sicut summarum summa est aeterna, neque extra
qui locus est quo dissiliant, neque corpora sunt quae
possint incidere et valida dissolvere plaga.
at neque, uti docui, solido cum corpore mundi
naturast, quoniam admixtumst in rebus inane,
nec tamen est ut inane, neque autem corpora desunt,
ex infinito quae possint forte coorta
corruere hanc rerum violento turbine summam
aut aliam quamvis cladem inportare pericli,
nec porro natura loci spatiumque profundi
deficit, exspargi quo possint moenia mundi,
aut alia quavis possunt vi pulsa perire.
haut igitur leti praeclusa est ianua caelo
nec soli terraeque neque altis aequoris undis,
sed patet immani et vasto respectat hiatu. ——
quare etiam nativa necessumst confiteare
haec eadem: neque enim, mortali corpore quae sunt,
ex infinito iam tempore adhuc potuissent
inmensi validas aevi contemnere vires.
Denique tantopere inter se cum maxima mundi
pugnent membra, pio nequaquam concita bello,
nonne vides aliquam longi certaminis ollis
posse dari finem, vel cum sol et vapor omnis
omnibus epotis umoribus exsuperarint?

quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
tantum suppeditant amnes ultraque minantur
omnia diluviare ex alto gurgite ponti,
nequiquam, quoniam verrentes aequora venti
deminuunt radiisque retexens aetherius sol,
et siccare prius confidunt omnia posse
quam liquor incepti possit contingere finem.
tantum spirantes aequo certamine bellum
magnis *inter se* de rebus cernere certant,
cum semel interea fuerit superantior ignis
et semel, ut fama est, umor regnarit in arvis.
ignis enim superat et lambens multa perussit,
avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum
aethere raptavit toto terrasque per omnis:
at pater omnipotens ira tum percitus acri
magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
deturbavit equis in terram, solque cadenti
obvius aeternam succepit lampada mundi,
disiectosque redegit equos iunxitque trementis,
inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,
scilicet, ut veteres Graium cecinere poëtae.
quod procul a vera nimis est ratione repulsum.
ignis enim superare potest ubi materiai
ex infinito sunt corpora plura coorta,
et pereunt res exustae torrentibus auris:
inde cadunt vires aliqua ratione revictae.
umor item quondam coepit superare coortus,
ut fama est, hominum multas quando obruit urbis:
inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit,
ex infinito fuerat quaecumque coorta,
constiterunt imbres et flumina vim minuerunt.

Sed quibus ille modis coniectus materiai
fundarit terram et caelum pontique profunda,
solis lunai cursus, ex ordine ponam.
nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,
sed quia multa modis multis primordia rerum

ex infinito iam tempore percita plagis
ponderibusque suis consuerunt concita ferri
omnimodisque coire atque omnia pertemptare,
quaecumque inter se possent congressa creare,
propterea fit uti magnum volgata per aevom
omne genus coetus et motus experiundo
tandem conveniant ea quae convecta repente
magnarum rerum fiunt exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum.
    Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
altivolans poterat nec magni sidera mundi
nec mare nec caelum nec denique terra neque aër
nec similis nostris rebus res ulla videri,
sed nova tempestas quaedam molesque coorta
omne genus de principiis, discordia quorum
intervalla vias conexus pondera plagas
concursus motus turbabat proelia miscens,
propter dissimilis formas variasque figuras
quod non omnia sic poterant coniuncta manere
nec motus inter sese dare convenientis.
diffugere inde loci partes coepere, paresque
cum paribus iungi res et discludere mundum
membraque dividere et magnas disponere partes,
hoc est, a terris altum secernere caelum,
et sorsum mare uti secreto umore pateret,
seorsus item puri secretique aetheris ignes.
    Quippe etenim primum terrai corpora quaeque,
propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
in medio atque imas capiebant omnia sedes;
quae quanto magis inter se perplexa coibant,
tam magis expressere ea quae mare sidera solem
lunamque efficerent et magni moenia mundi:
omnia enim magis haec e levibus atque rutundis
seminibus multoque minoribu' sunt elementis
quam tellus. ideo, per rara foramina, terrae
partibus erumpens primus se sustulit aether
ignifer et multos secum levis abstulit ignis,
non alia longe ratione ac saepe videntur,

aurea cum primum gemmantis rore per herbas
matutina rubent radiati lumina solis,
exhalare lacus nebulam fluviique perennes,
ipsaque ut interdum tellus fumare videtur;
omnia quae sursum cum conciliantur, in alto
corpore concreto subtexunt nubila caelum.
sic igitur tum se levis ac diffusilis aether
corpore concreto circumdatus undique *flexit*
et late diffusus in omnis undique partis
omnia sic avido complexu cetera saepsit.
hunc exordia sunt solis lunaeque secuta,
interutraque globi quorum vertuntur in auris;
quae neque terra sibi adscivit nec maximus aether,
quod neque tam fuerunt gravia ut depressa sederent,
nec levia ut possent per summas labier oras,
et tamen interutraque ita sunt, ut corpora viva
versent et partes ut mundi totius extent;
quod genus in nobis quaedam licet in statione
membra manere, tamen cum sint ea quae moveantur.
his igitur rebus retractis terra repente,
maxuma qua nunc se ponti plaga caerula tendit,
succidit et salso suffudit gurgite fossas.
inque dies quanto circum magis aetheris aestus
et radii solis cogebant undique terram,
verberibus crebris extrema a limini' parte
in medio ut propulsa suo condensa coiret,
tam magis expressus salsus de corpore sudor
augebat mare manando camposque natantis,
et tanto magis illa foras elapsa volabant
corpora multa vaporis et aëris, altaque caeli
densebant procul a terris fulgentia templa.
sidebant campi, crescebant montibus altis
ascensus: neque enim poterant subsidere saxa
nec pariter tantundem omnes succumbere partis.
Sic igitur terrae concreto corpore pondus
constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
confluxit gravis et subsedit funditus ut faex;
inde mare, inde aër, inde aether ignifer ipse

corporibus liquidis sunt omnia pura relicta
et leviora aliis alia, et liquidissimus aether
atque levissimus aërias super influit auras,
nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
commiscet. sinit hic violentis omnia verti
turbinibus, sinit incertis turbare procellis,
ipse suos ignis certo fert impete labens.
nam modice fluere atque uno posse aethera nisu
significat Pontos, mare certo quod fluit aestu
unum labendi conservans usque tenorem.
|| Motibus astrorum nunc quae sit causa canamus.
principio magnus caeli si vortitur orbis,
ex utraque polum parti premere aëra nobis
dicendum est extraque tenere et claudere utrimque;
inde alium supra fluere atque intendere deorsum,
hinc alium supter, contra qui subvehat orbem;
ut fluvios versare rotas atque austra videmus.
quo volvenda micant aeterni sidera mundi.
est etiam quoque uti possit caelum omne manere
in statione, tamen cum lucida signa ferantur:
sive quod inclusi rapidi sunt aetheris aestus,
quaerentesque viam circumversantur et ignes
passim per caeli volvunt immania templa;
sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aër
versat agens ignis; sive ipsi serpere possunt
quo cuiusque cibus vocat atque invitat euntis,
flammea per caelum pascentis corpora passim.
nam quid in hoc mundo sit eorum ponere certum
difficile est: sed quid possit fiatque per omne
in variis mundis varia ratione creatis,
id doceo, plurisque sequor disponere causas,
motibus astrorum quae possint esse per omne;
e quibus una tamen siet hic quoque causa necessest,
quae vegeat motum signis: sed quae sit earum
praecipere hautquaquamst pedetemtim progredientis. ||
Terraque ut in media mundi regione quiescat,
evanescere paulatim et decrescere pondus
convenit, atque aliam naturam supter habere,

ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam
partibus aëriis mundi, quibus insita vivit.
propterea non est oneri neque deprimit auras;
ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra,
nec caput est oneri collo, nec denique totum
corporis in pedibus pondus sentimus inesse:
at quaecumque foris veniunt inpostaque nobis
pondera sunt laedunt, permulto saepe minora.
usque adeo magni refert quid quaeque aveat res.
sic igitur tellus non est aliena repente
allata atque auris aliunde obiecta alienis,
sed pariter prima concepta ab origine mundi
certaque pars eius, quasi nobis membra, videntur.
praeterea grandi tonitru concussa repente
terra supra quae se sunt concutit omnia motu;
quod facere haut ulla posset ratione, nisi esset
partibus aëriis mundi caeloque revincta:
nam communibus inter se radicibus haerent
ex ineunte aevo coniuncta atque uniter apta.
nonne vides etiam quam magno pondere nobis
sustineat corpus tenuissima vis animai
propterea quia tum coniuncta atque uniter apta est?
denique iam saltu pernici tollere corpus
quid potis est nisi vis animi, quae membra gubernat?
iamne vides quantum tenuis natura valere
possit, ubi est coniuncta gravi cum corpore, ut aër
coniunctus terris et nobis est animi vis?
Nec nimio solis maior rota nec minor ardor
esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.
nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt
adicere et calidum membris adflare vaporem,
nil *illa* his intervallis de corpore libant
flammarum, nil ad speciem est contractior ignis.
proinde, calor quoniam solis lumenque profusum
perveniunt nostros ad sensus et loca mulcent,
forma quoque hinc solis debet filumque videri,
nil adeo ut possis plus aut minus addere, vere.
lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans,

sive suam proprio iactat de corpore lucem,
quidquid id est, nilo fertur maiore figura
quam, nostris oculis qua cernimus, esse videtur.
nam prius omnia, quae longe semota tuemur
aëra per multum, specie confusa videntur
quam minui filum. quapropter luna necesse est,
quandoquidem claram speciem certamque figuram
praebet, ut est oris extremis cumque notata
quantaque quantast hinc nobis videatur in alto.
postremo quoscumque vides hinc aetheris ignes,
quandoquidem quoscumque in terris cernimu', *flammae*
dum tremor *est* clarus, dum cernitur ardor eorum,
perparvom quiddam interdum mutare videtur
alteram utram in partem filum, quo longius absunt,
scire licet perquam pauxillo posse minores
esse vel exigua maioris parte brevique.
Illud item non est mirandum, qua ratione
tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
quod maria ac terras omnis caelumque rigando
compleat et calido perfundat cuncta vapore.
nam licet hinc mundi patefactum totius unum
largifluum fontem scatere atque erumpere lumen,
ex omni mundo quia sic elementa vaporis
undique conveniunt et sic coniectus eorum
confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
nonne vides etiam quam late parvus aquai
prata riget fons interdum campisque redundet?
est etiam quoque uti non magno solis ab igni
aëra percipiat calidis fervoribus ardor,
opportunus ita est si forte et idoneus aër,
ut queat accendi parvis ardoribus ictus;
quod genus interdum segetes stipulamque videmus
accidere ex una scintilla incendia passim.
forsitan et rosea sol alte lampade lucens
possideat multum caecis fervoribus ignem
circum se, nullo qui sit fulgore notatus,
aestifer ut tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio solis simplex reclusa patescit,

quo pacto aestivis e partibus aegocerotis
brumalis adeat flexus atque inde revertens
cancri se ut vertat metas ad solstitialis,
lunaque mensibus id spatium videatur obire,
annua sol in quo consumit tempora cursu.
non, inquam, simplex his rebus reddita causast.
nam fieri vel cum primis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
quanto quaeque magis sint terram sidera propter,
tanto posse minus cum caeli turbine ferri:
evanescere enim rapidas illius et acris
imminui supter viris, ideoque relinqui
paulatim solem cum posterioribu' signis,
inferior multo quod sit quam fervida signa.
et magis hoc lunam: quanto demissior eius
cursus abest procul a caelo terrisque propinquat,
tanto posse minus cum signis tendere cursum.
flaccidiore etenim quanto iam turbine fertur
inferior quam sol, tanto magis omnia signa
hanc adipiscuntur circum, praeterque feruntur.
propterea fit ut haec ad signum quodque reverti
mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
fit quoque ut e mundi transversis partibus aër
alternis certo fluere alter tempore possit,
qui queat aestivis solem detrudere signis
brumalis usque ad flexus gelidumque rigorem,
et qui reiciat gelidis a frigoris umbris
aestiferas usque in partis et fervida signa.
et ratione pari lunam stellasque putandumst,
quae volvunt magnos in magnis orbibus annos,
aëribus posse alternis e partibus ire.
nonne vides etiam diversis nubila ventis
diversas ire in partis inferna supernis?
qui minus illa queant per magnos aetheris orbis
aestibus inter se diversis sidera ferri?

At nox obruit ingenti caligine terras,
aut ubi de longo cursu sol ultima caeli
impulit atque suos efflavit languidus ignis

concussos itere et labefactos aëre multo,
aut quia sub terras cursum convortere cogit
vis eadem, supra quae terras pertulit orbem.
Tempore item certo roseam Matuta per oras
aetheris auroram differt et lumina pandit,
aut quia sol idem, sub terras ille revertens,
anticipat caelum radiis accendere temptans,
aut quia conveniunt ignes et semina multa
confluere ardoris consuerunt tempore certo,
quae faciunt solis nova semper lumina gigni;
quod genus Idaeis fama est e montibus altis
dispersos ignis orienti lumine cerni,
inde coire globum quasi in unum et conficere orbem.
nec tamen illud in his rebus mirabile debet
esse, quod haec ignis tam certo tempore possunt
semina confluere et solis reparare nitorem.
multa videmus enim, certo quae tempore fiunt
omnibus in rebus. florescunt tempore certo
arbusta et certo dimittunt tempore florem:
nec minus in certo dentes cadere imperat aetas
tempore et inpubem molli pubescere veste
et pariter mollem malis demittere barbam:
fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti,
non nimis incertis fiunt in partibus anni.
namque ubi sic fuerunt causarum exordia prima
atque ita res mundi cecidere ab origine prima,
consequë quoque iam redeunt ex ordine certo.
Crescere itemque dies licet et tabescere noctes,
et minui luces, cum sumant augmina noctes,
aut quia sol idem sub terras atque superne
imparibus currens amfractibus aetheris oras
partit et in partis non aequas dividit orbem,
et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
eius in adversa tanto plus parte relatus,
donec ad id signum caeli pervenit, ubi anni
nodus nocturnas exaequat lucibus umbras:
nam medio cursu flatus aquilonis et austri
distinet, aequato caelum discrimine metans,

propter signiferi posituram totius orbis
obliqui, terras et caelum lumine lustrans
annua sol in quo concludit tempora serpens,
ut ratio declarat eorum qui loca caeli
omnia dispositis signis ornata notarunt.
aut quia crassior est certis in partibus aër,
sub terris ideo tremulum iubar haesitat ignis
nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus:
propterea noctes hiberno tempore longae
cessant, dum veniat radiatum insigne diei.
aut etiam, quia sic alternis partibus anni
tardius et citius consuerunt confluere ignes,
qui faciunt solem certa desurgere parte
propterea fit uti videantur dicere verum.
Luna potest solis radiis percussa nitere,
inque dies magis *id* lumen convertere nobis
ad speciem, quantum solis secedit ab orbi,
donique eum contra pleno bene lumine fulsit
atque oriens obitus eius super edita vidit:
inde minutatim retro quasi condere lumen
debet item, quanto propius iam solis ad ignem
labitur ex alia signorum parte per orbem;
ut faciunt, lunam qui fingunt esse pilai
consimilem cursusque viam sub sole tenere.
est etiam quare proprio cum lumine possit
volvier et varias splendoris reddere formas:
corpus enim licet esse aliud, quod fertur et una
labitur omnimodis occursans officiensque,
nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
versarique potest, globus ut sit forte pilai
dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
versandoque globum variantis edere formas,
donique eam partem, quaecumque est ignibus aucta,
ad speciem vertit nobis oculosque patentis:
inde minutatim retro contorquet et aufert
luciferam partem glomeraminis atque pilai;
ut Babylonica Chaldaeum doctrina refutans
astrologorum artem contra convincere tendit,

proinde quasi id fieri nequeat quod pugnat uterque,
aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.
denique cur nequeat semper nova luna creari
ordine formarum certo certisque figuris,
inque dies privos aborisci quaeque creata
atque alia illius reparari in parte locoque,
difficilest ratione docere et vincere verbis,
ordine cum *possint* tam certo multa creari.
it ver et Venus, et veris praenuntius ante
pennatus graditur zephyrus, vestigia propter
Flora quibus mater praespargens ante viai
cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet.
inde loci sequitur calor aridus et comes una
pulverulenta Ceres *et* etesia flabra aquilonum.
inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan.
inde aliae tempestates ventique secuntur,
altitonans Volturnus et auster fulmine pollens.
tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem,
prodit hiems, sequitur crepitans hanc dentibus algor.
quo minus est mirum, si certo tempore luna
gignitur et certo deletur tempore rusus,
cum fieri possint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus lunaeque latebras
pluribus e causis fieri tibi posse putandumst.
nam cur luna queat terram secludere solis
lumine et a terris altum caput obstruere ei,
obiciens caecum radiis ardentibus orbem;
tempore eodem aliut facere id non posse putetur
corpus, quod cassum labatur lumine semper?
solque suos etiam dimittere languidus ignis
tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
cum loca praeteriit flammis infesta per auras,
quae faciunt ignis interstingui atque perire?
et cur terra queat lunam spoliare vicissim
lumine et oppressum solem super ipsa tenere,
menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;
tempore eodem aliut nequeat succurrere lunae
corpus vel supra solis perlabier orbem,

quod radios interrumpat lumenque profusum?
et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore,
cur nequeat certa mundi languescere parte,
dum loca luminibus propriis inimica per exit?
Quod superest, quoniam magni per caerula mundi
qua fieri quicquid posset ratione resolvi,
solis uti varios cursus lunaeque meatus
noscere possemus quae vis et causa cieret,
quove modo *possent* offecto lumine obire
et neque opinantis tenebris obducere terras,
cum quasi conivent et aperto lumine rursum
omnia convisunt clara loca candida luce,
nunc redeo ad mundi novitatem et mollia terrae
arva, novo fetu quid primum in luminis oras
tollere et incertis crerint committere ventis.
Principio genus herbarum viridemque nitorem
terra dedit circum collis camposque per omnis,
florida fulserunt viridanti prata colore,
arboribusque datumst variis exinde per auras
crescendi magnum inmissis certamen habenis.
ut pluma atque pili primum saetaeque creantur
quadripedum membris et corpore pennipotentum,
sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
sustulit, inde loci mortalia saecla creavit
multa modis multis varia ratione coorta.
nam neque de caelo cecidisse animalia possunt,
nec terrestria de salsis exisse lacunis:
linquitur ut merito maternum nomen adepta
terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
multaque nunc etiam existunt animalia terris,
imbribus et calido solis concreta vapore;
quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta
et maiora, nova tellure atque aethere adulta.
principio genus alituum variaeque volucres
ova relinquebant exclusae tempore verno,
folliculos ut nunc teretis aestate cicadae
lincunt sponte sua victum vitamque petentes.
tum tibi terra dedit passim mortalia saecla.

multus enim calor atque umor superabat in arvis:
hoc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
crescebant uteri terram radicibus apti;
quos ubi tempore maturo patefecerat aetas
infantum, fugiens umorem aurasque petessens,
convertebat ibi natura foramina terrae
et sucum venis cogebat fundere apertis
consimilem lactis, sicut nunc femina quaeque
cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
impetus in mammas convertitur ille alimenti.
terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
praebebat multa et molli lanugine abundans.
at novitas mundi nec frigora dura ciebat
nec nimios aestus nec magnis viribus auras.
omnia enim pariter crescunt et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
humanum atque animal prope certo tempore fudit
omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
äëriasque simul volucres variantibu' formis.
sed quia finem aliquam pariendi debet habere,
destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.
mutat enim mundi naturam totius aetas,
ex alioque alius status excipere omnia debet,
nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
omnia commutat natura et vertere cogit.
namque aliut putrescit et aevo debile languet,
porro aliut clarescit et *e* contemptibus exit.
sic igitur mundi naturam totius aetas
mutat, et ex alio terram status excipit alter,
quod pote uti nequeat, possit quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare
conatast mira facie membrisque coorta,
androgynum, interutraque nec utrum, utrimque remotum,
orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,
vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu,
nec facere ut possent quicquam nec cedere quoquam

nec vitare malum nec sumere quod foret usus.
cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat,
nequiquam, quoniam natura absterruit auctum,
nec potuere cupitum aetatis tangere florem
nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.
multa videmus enim rebus concurrere debere,
ut propagando possint procudere saecla;
pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
semina qua possint membris manare remissa,
feminaque ut maribus coniungi possit avere,
mutua qui mutent inter se gaudia uterque.
Multaque tum interiisse animantum saecla necessest
nec potuisse propagando procudere prolem.
nam quaecumque vides vesci vitalibus auris,
aut dolus aut virtus aut denique mobilitas est
ex ineunte aevo genus id tutata reservans:
multaque sunt, nobis ex utilitate sua quae
commendata manent, tutelae tradita nostrae.
principio genus acre leonum saevaque saecla
tutatast virtus, volpes dolus, et fuga cervos.
at levisomna canum fido cum pectore corda,
et genus omne quod est veterino semine partum,
lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla
omnia sunt hominum tutelae tradita, Memmi:
nam cupide fugere feras, pacemque secuta
sunt et larga suo sine pabula parta labore,
quae damus utilitatis eorum praemia causa.
at quis nil horum tribuit natura, nec ipsa
sponte sua possent ut vivere nec dare nobis
utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
praesidio nostro pasci genus esseque tutum,
scilicet, haec aliis praedae lucroque iacebant
indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
donec ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in ullo
esse queunt duplici natura et corpore bino
ex alienigenis membris compacta, potestas
hinc illinc parilis quis non superesse potissit.

id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
principio circum tribus actis impiger annis
floret equus, puer haut quaquam: nam saepe etiam nunc
ubera mammarum in somnis lactantia quaeret:
post ubi equum validae vires aetate senecta
membraque deficiunt fugienti languida vita,
tum demum pueris aevo florente iuventas
occipit et molli vestit lanugine malas;
ne forte ex homine et veterino semine equorum
confieri credas Centauros posse neque esse,
aut rabidis canibus succinctas semimarinis
corporibus Scyllas, et cetera de genere horum,
inter se quorum discordia membra videmus;
quae neque florescunt pariter nec robora sumunt
corporibus neque proiciunt aetate senecta,
nec simili Venere ardescunt nec moribus unis
conveniunt, neque sunt eadem iucunda per artus.
quippe videre licet pinguescere saepe cicuta
barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum.
denique flamma quidem cum corpora fulva leonum
tam soleat torrere atque urere quam genus omne
visceris in terris quodcumque et sanguinis extet,
qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
prima leo, postrema draco, media ipsa, Chimaera
ore foras acrem flaret de corpore flammam?
quare etiam tellure nova caeloque recenti
talia qui fingit potuisse animalia gigni,
nixus in hoc uno novitatis nomine inani,
multa licet simili ratione effutiat ore,
aurea tum dicat per terras flumina vulgo
fluxisse, et gemmis florere arbusta suësse,
aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
trans maria alta pedum nisus ut ponere posset
et manibus totum circum se vertere caelum.
nam quod multa fuere in terris semina rerum
tempore quo primum tellus animalia fudit,
nil tamen est signi mixtas potuisse creari
inter se pecudes compactaque membra animantum,

propterea quia quae de terris nunc quoque abundant
herbarum genera ac fruges arbustaque laeta
non tamen inter se possunt complexa creari,
sed vis quaeque suo ritu procedit, et omnes
foedere naturae certo discrimina servant.
At genus humanum multo fuit illud in arvis
durius, ut decuit, tellus quod dura creasset,
et maioribus et solidis magis ossibus intus
fundatum, validis aptum per viscera nervis,
nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur,
nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
multaque per caelum solis volventia lustra
volgivago vitam tractabant more ferarum.
nec robustus erat curvi moderator aratri
quisquam, nec scibat ferro molirier arva
nec nova defodere in terram virgulta neque altis
arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
sponte sua, satis id placabat pectora donum.
glandiferas inter curabant corpora quercus
plerumque: et quae nunc hiberno tempore cernis
arbita puniceo fieri matura colore,
plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
multaque praeterea novitas tum florida mundi
pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.
at sedare sitim fluvii fontesque vocabant,
ut nunc montibus e magnis decursus aquai
clarigitat late sitientia saecla ferarum.
denique nota vagi silvestria templa tenebant
nympharum, quibus e scibant umori' fluenta
lubrica proluvie larga lavere umida saxa,
umida saxa, super viridi stillantia musco,
et partim plano scatere atque erumpere campo.
necdum res igni scibant tractare neque uti
pellibus et spoliis corpus vestire ferarum,
sed nemora atque cavos montis silvasque colebant,
et frutices inter condebant squalida membra,
verbera ventorum vitare imbrisque coacti.

nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
moribus inter se scibant nec legibus uti.
quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat
sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
et Venus in silvis iungebat corpora amantum:
conciliabat enim vel mutua quamque cupido
vel violenta viri vis atque inpensa libido
vel pretium, glandes atque arbita vel pira lecta.
et manuum mira freti virtute pedumque
consectabantur silvestria saecla ferarum,
multaque vincebant, vitabant pauca latebris,
saetigerisque pares subus
missilibus saxis et magno pondere clavae.
silvestria membra
nuda dabant terrae, nocturno tempore capti,
circum se foliis ac frondibus involventes.
nec plangore diem magno solemque per agros
quaerebant pavidi palantes noctis in umbris,
sed taciti respectabant somnoque sepulti,
dum rosea face sol inferret lumina caelo:
a parvis quod enim consuerant cernere semper
alterno tenebras et lucem tempore gigni,
non erat ut fieri posset mirarier umquam
nec diffidere, ne terras aeterna teneret
nox in perpetuum detracto lumine solis.
sed magis illud erat curae, quod saecla ferarum
infestam miseris faciebant saepe quietem:
eiectique domo fugiebant saxea tecta
spumigeri suis adventu validive leonis,
atque intempesta cedebant nocte paventes
hospitibus saevis instrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla
dulcia linquebant labentis lumina vitae.
unus enim tum quisque magis deprensus eorum
pabula viva feris praebebat, dentibus haustus,
et nemora ac montis gemitu silvasque replebat,
viva videns vivo sepeliri viscera busto.
at quos effugium servarat corpore adeso,

posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
palmas horriferis accibant vocibus Orcum,
donique eos vita privarant vermina saeva,
expertis opis, ignaros quid volnera vellent.
at non multa virum sub signis milia ducta
una dies dabat exitio, nec turbida ponti
aequora fligebant navis ad saxa virosque.
hic temere in cassum frustra mare saepe coortum
saevibat leviterque minas ponebat inanis,
nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
[improba navigii ratio tum caeca iacebat]
tum penuria deinde cibi languentia leto
membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
illi inprudentes ipsi sibi saepe venenum
vergebant, nunc dant *aliis* sollertius ipsum.
Inde casas postquam ac pellis ignemque pararunt,
et mulier coniuncta viro concessit in unum
coniugium, prolemque ex se videre creatam,
tum genus humanum primum mollescere coepit.
ignis enim curavit ut alsia corpora frigus
non ita iam possent caeli sub tegmine ferre,
et Venus inminuit viris, puerique parentum
blanditiis facile ingenium fregere superbum.
tunc et amicitiem coeperunt iungere aventes
finitimi inter se nec laedere nec violari,
et pueros commendarunt muliebreque saeclum,
vocibus et gestu cum balbe significarent
imbecillorum esse aequum misererier omnis.
nec tamen omnimodis poterat concordia gigni,
sed bona magnaque pars servabat foedera caste:
aut genus humanum iam tum foret omne peremptum,
nec potuisset adhuc perducere saecla propago.
At varios linguae sonitus natura subegit
mittere, et utilitas expressit nomina rerum,
non alia longe ratione atque ipsa videtur
protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.

sentit enim vim quisque suam quoad possit abuti.
cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
illis iratus petit atque infestus inurget.
at catuli pantherarum scymnique leonum
unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
vix etiam cum sunt dentes unguesque creati.
alituum porro genus alis omne videmus
fidere et a pinnis tremulum petere auxiliatum.
proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
desiperest. nam cur hic posset cuncta notare
vocibus et varios sonitus emittere linguae,
tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
praeterea si non alii quoque vocibus usi
inter se fuerant, unde insita notities est
utilitatis et unde data est huic prima potestas,
quid vellet, facere ut scirent animoque viderent?
cogere item pluris unus victosque domare
non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.
nec ratione docere ulla suadereque surdis,
quid sit opus facto, facilest: neque enim paterentur,
nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris
vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
pro vario sensu varia res voce notaret?
cum pecudes mutae, cum denique saecla ferarum
dissimilis soleant voces variasque ciere,
cum metus aut dolor est et cum iam gaudia gliscunt.
quippe etenim licet id rebus cognoscere apertis.
inritata canum cum primum inmane Molossum
mollia ricta fremunt duros nudantia dentes,
longe alio sonitu rabie restricta minantur,
et cum iam latrant et vocibus omnia complent:
et catulos blande cum lingua lambere temptant,
aut ubi eos iactant pedibus morsuque petentes
suspensis teneros minitantur dentibus haustus,
longe alio pacto gannitu vocis adulant,

et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum
plorantis fugiunt summisso corpore plagas.
denique non hinnitus item differre videtur,
inter equas ubi equus florenti aetate iuvencus
pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris,
et fremitum patulis ubi naribus edit ad arma,
et cum sic alias concussis artibus hinnit?
postremo genus alituum variaeque volucres,
accipitres atque ossifragae mergique marinis
fluctibus in salso victum vitamque petentes,
longe alias alio iaciunt in tempore voces,
et quom de victu certant praedaeque repugnant:
et partim mutant cum tempestatibus una
raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta
corvorumque greges ubi aquam dicuntur et imbris
poscere et interdum ventos aurasque vocare.
ergo si varii sensus animalia cogunt,
muta tamen cum sint, varias emittere voces,
quanto mortalis magis aequumst tum potuisse
dissimilis alia atque alia res voce notare!
|| Illud in his rebus tacitus ne forte requiras,
fulmen detulit in terram mortalibus ignem
primitus, inde omnis flammarum diditur ardor:
multa videmus enim caelestibus inlita flammis
fulgere, cum caeli donavit plaga vapore.
et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
exprimitur validis extritus viribus ignis
et micat interdum flammai fervidus ardor,
mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.
quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
inde cibum coquere ac flammae mollire vapore
sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
verberibus radiorum atque aestu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
commutare novis monstrabant rebu' benigni,
ingenio qui praestabant et corde vigebant.
condere coeperunt urbis arcemque locare

praesidium reges ipsi sibi perfugiumque,
et pecus atque agros divisere atque dedere
pro facie cuiusque et viribus ingenioque:
nam facies multum valuit viresque vigorque.
posterius res inventast aurumque repertum,
quod facile et validis et pulchris dempsit honorem:
divitioris enim sectam plerumque secuntur
quamlubet et fortes et pulchro corpore creti.
quod siquis vera vitam ratione gubernet,
divitiae grandes homini sunt vivere parce
aequo animo: neque enim est umquam penuria parvi.
at claros homines voluerunt se atque potentes,
ut fundamento stabili fortuna maneret
et placidam possent opulenti degere vitam,
nequiquam, quoniam ad summum succedere honorem
certantes iter infestum fecere viai,
et tamen e summo, quasi fulmen, deicit ictos
invidia interdum contemptim in Tartara taetra;
ut satius multo iam sit parere quietum
quam regere imperio res velle et regna tenere.
proinde sine in cassum defessi sanguine sudent,
angustum per iter luctantes ambitionis;
quandoquidem sapiunt alieno ex ore petuntque
res ex auditis potius quam sensibus ipsis,
nec magis id nunc est neque erit mox quam fuit ante,
invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque.
Ergo regibus occisis subversa iacebat
pristina maiestas soliorum et sceptra superba,
et capitis summi praeclarum insigne cruentum
sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem:
nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
res itaque ad summam faecem turbasque redibat,
imperium sibi cum ac summatum quisque petebat.
inde magistratum partim docuere creare,
iuraque constituere, ut vellent legibus uti.
nam genus humanum, defessum vi colere aevom,
ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum

sponte sua cecidit sub leges artaque iura.
acrius ex ira quod enim se quisque parabat
ulcisci quam nunc concessumst legibus aequis,
hanc ob rem est homines pertaesum vi colere aevom.
inde metus maculat poenarum praemia vitae.
circumretit enim vis atque iniuria quemque,
atque unde exortast, ad eum plerumque revertit,
nec facilest placidam ac pacatam degere vitam
qui violat factis communia foedera pacis:
etsi fallit enim divom genus humanumque,
perpetuo tamen id fore clam diffidere debet;
quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
aut morbo delirantes protraxe ferantur
et celata *mala* in medium et peccata dedisse. ||
Nunc quae causa deum per magnas numina gentis
pervulgarit et ararum compleverit urbis
suscipiendaque curarit sollemnia sacra,
quae nunc in magnis florent sacra rebu' locisque,
unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
qui delubra deum nova toto suscitat orbi
terrarum et festis cogit celebrare diebus,
non ita difficilest rationem reddere verbis.
quippe etenim iam tum divom mortalia saecla
egregias animo facies vigilante videbant,
et magis in somnis mirando corporis auctu.
his igitur sensum tribuebant propterea quod
membra movere videbantur vocesque superbas
mittere pro facie praeclara et viribus amplis.
aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
subpeditabatur facies et forma manebat,
et tamen omnino quod tantis viribus auctos
non temere ulla vi convinci posse putabant.
fortunisque ideo longe praestare putabant,
quod mortis timor haut quemquam vexaret eorum,
et simul in somnis quia multa et mira videbant
efficere et nullum capere ipsos inde laborem.
praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti,

nec poterant quibus id fieret cognoscere causis:
ergo perfugium sibi habebant omnia divis
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.
in caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia lux et luna videtur,
luna, dies, et nox, et noctis signa serena,
noctivagaeque faces caeli, flammaeque volantes,
nubila, sol, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
et rapidi fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, talia divis
cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas!
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!
nec pietas ullast velatum saepe videri
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras,
nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
ante deum delubra, nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum, nec votis nectere vota,
sed mage pacata posse omnia mente tueri.
nam cum suspicimus magni caelestia mundi
templa, super stellisque micantibus aethera fixum,
et venit in mentem solis lunaeque viarum,
tunc aliis oppressa malis in pectora cura
illa quoque expergefactum caput erigere infit,
ne quae forte deum nobis inmensa potestas
sit, vario motu quae candida sidera verset:
temptat enim dubiam mentem rationis egestas,
ecquaenam fuerit mundi genitalis origo,
et simul ecquae sit finis, quoad moenia mundi
solliciti motus hunc possint ferre laborem,
an divinitus aeterna donata salute
perpetuo possint aevi labentia tractu
inmensi validas aevi contemnere viris.
praeterea cui non animus formidine divum
contrahitur, cui non correpunt membra pavore,
fulminis horribili cum plaga torrida tellus
contremit et magnum percurrunt murmura caelum?
non populi gentesque tremunt, regesque superbi

sponte sua cecidit sub leges artaque iura.
acrius ex ira quod enim se quisque parabat
ulcisci quam nunc concessumst legibus aequis,
hanc ob rem est homines pertaesum vi colere aevom.
inde metus maculat poenarum praemia vitae.
circumretit enim vis atque iniuria quemque,
atque unde exortast, ad eum plerumque revertit,
nec facilest placidam ac pacatam degere vitam
qui violat factis communia foedera pacis:
etsi fallit enim divom genus humanumque,
perpetuo tamen id fore clam diffidere debet;
quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
aut morbo delirantes protraxe ferantur
et celata *mala* in medium et peccata dedisse. ||
Nunc quae causa deum per magnas numina gentis
pervulgarit et ararum compleverit urbis
suscipiendaque curarit sollemnia sacra,
quae nunc in magnis florent sacra rebu' locisque,
unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
qui delubra deum nova toto suscitat orbi
terrarum et festis cogit celebrare diebus,
non ita difficilest rationem reddere verbis.
quippe etenim iam tum divom mortalia saecla
egregias animo facies vigilante videbant,
et magis in somnis mirando corporis auctu.
his igitur sensum tribuebant propterea quod
membra movere videbantur vocesque superbas
mittere pro facie praeclara et viribus amplis.
aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
subpeditabatur facies et forma manebat,
et tamen omnino quod tantis viribus auctos
non temere ulla vi convinci posse putabant.
fortunisque ideo longe praestare putabant,
quod mortis timor haut quemquam vexaret eorum,
et simul in somnis quia multa et mira videbant
efficere et nullum capere ipsos inde laborem.
praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti,

nec poterant quibus id fieret cognoscere causis:
ergo perfugium sibi habebant omnia divis
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.
in caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia lux et luna videtur,
luna, dies, et nox, et noctis signa serena,
noctivagaeque faces caeli, flammaeque volantes,
nubila, sol, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
et rapidi fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, talia divis
cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas!
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!
nec pietas ullast velatum saepe videri
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras,
nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
ante deum delubra, nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum, nec votis nectere vota,
sed mage pacata posse omnia mente tueri.
nam cum suspicimus magni caelestia mundi
templa, super stellisque micantibus aethera fixum,
et venit in mentem solis lunaeque viarum,
tunc aliis oppressa malis in pectora cura
illa quoque expergefactum caput erigere infit,
ne quae forte deum nobis inmensa potestas
sit, vario motu quae candida sidera verset:
temptat enim dubiam mentem rationis egestas,
ecquaenam fuerit mundi genitalis origo,
et simul ecquae sit finis, quoad moenia mundi
solliciti motus hunc possint ferre laborem,
an divinitus aeterna donata salute
perpetuo possint aevi labentia tractu
inmensi validas aevi contemnere viris.
praeterea cui non animus formidine divum
contrahitur, cui non correpunt membra pavore,
fulminis horribili cum plaga torrida tellus
contremit et magnum percurrunt murmura caelum?
non populi gentesque tremunt, regesque superbi

corripiunt divum percussi membra timore,
nequid ob admissum foede dictumve superbe
poenarum grave sit solvendi tempus adultum?
summa etiam cum vis violenti per mare venti
induperatorem classis super aequora verrit
cum validis pariter legionibus atque elephantis,
non divom pacem votis adit ac prece quaesit
ventorum pavidus paces animasque secundas,
nequiquam, quoniam violento turbine saepe
correptus nilo fertur minus ad vada leti?
usque adeo res humanas vis abdita quaedam
opterit, et pulchros fascis saevasque secures
proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
denique sub pedibus tellus cum tota vacillat
concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur,
quid mirum, si se temnunt mortalia saecla
atque potestatis magnas mirasque relinquunt
in rebus viris divum, quae cuncta gubernent?
Quod superest, aes atque aurum ferrumque repertumst
et simul argenti pondus plumbique potestas,
ignis ubi ingentis silvas ardore cremarat
montibus in magnis, seu caelo fulmine misso,
sive quod inter se bellum silvestre gerentes
hostibus intulerant ignem formidinis ergo,
sive quod inducti terrae bonitate volebant
pandere agros pinguis et pascua reddere rura,
sive feras interficere et ditescere praeda:
nam fovea atque igni prius est venarier ortum
quam saepire plagis saltum canibusque ciere.
quidquid id est, quacumque e causa flammeus ardor
horribili sonitu silvas exederat altis
ab radicibus et terram percoxerat igni,
manabat venis ferventibus in loca terrae
concava conveniens argenti rivus et auri,
aeris item et plumbi. quae cum concreta videbant
posterius claro in terra splendere colore,
tollebant nitido capti levique lepore,
et simili formata videbant esse figura

atque lacunarum fuerant vestigia cuique.
tum penetrabat eos posse haec liquefacta calore
quamlibet in formam et faciem decurrere rerum,
et prorsum quamvis in acuta ac tenvia posse
mucronum duci fastigia procudendo,
ut sibi tela darent, silvasque ut caedere possent
materiemque domo, levare ac radere tigna
et terebrare etiam ac pertundere perque forare.
nec minus argento facere haec auroque parabant
quam validi primum violentis viribus aeris,
nequiquam, quoniam cedebat victa potestas
nec poterat pariter durum sufferre laborem.
tum fuit in pretio magis *aes*, aurumque iacebat
propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:
nunc iacet aes, aurum in summum successit honorem.
sic volvenda aetas commutat tempora rerum.
quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
porro aliut succedit et *e* contemptibus exit,
inque dies magis adpetitur floretque repertum
laudibus et miro est mortalis inter honore.
Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
sit facilest ipsi per te cognoscere, Memmi.
arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt,
et lapides et item silvarum fragmina rami,
et flamma atque ignes, postquam sunt cognita primum.
posterius ferri vis est aerisque reperta.
et prior aeris erat quam ferri cognitus usus,
quo facilis magis est natura et copia maior.
aere solum terrae tractabant, aereque belli
miscebant fluctus et vulnera vasta serebant
et pecus atque agros adimebant: nam facile ollis
omnia cedebant armatis nuda et inerma.
inde minutatim processit ferreus ensis,
versaque in obprobrium species est falcis ahenae,
et ferro coepere solum proscindere terrae
exaequataque sunt creperi certamina belli.
et prius est armatum in equi conscendere costas
et moderarier hunc frenis dextraque vigere

quam biiugo curru belli temptare pericla.
et biiugos prius est quam bis coniungere binos
et quam falciferos armatum escendere currus.
inde boves lucas turrito corpore, tetras,
anguimanus, belli docuerunt volnera Poeni
sufferre et magnas Martis turbare catervas.
sic alid ex alio peperit discordia tristis,
horribile humanis quod gentibus esset in armis,
inque dies belli terroribus addidit augmen.
Temptarunt etiam tauros in moenere belli,
expertique sues saevos sunt mittere in hostis.
et validos partim prae se misere leones
cum doctoribus armatis saevisque magistris,
qui moderarier his possent vinclisque tenere,
nequiquam, quoniam permixta caede calentes
turbabant saevi nullo discrimine turmas,
[terrificas capitum quatientes undique cristas]
nec poterant equites fremitu perterrita equorum
pectora mulcere et frenis convertere in hostis.
inritata leae iaciebant corpora saltu
undique, et adversum venientibus ora petebant,
et necopinantis a tergo deripiebant,
deplexaeque dabant in terram volnere victos,
morsibus adfixae validis atque unguibus uncis.
iactabantque suos tauri pedibusque terebant,
et latera ac ventres hauribant supter equorum
cornibus, et terram minitanti fronte ruebant.
et validis socios caedebant dentibus apri,
tela infracta suo tinguentes sanguine saevi,
[in se fracta suo tinguentes sanguine tela]
permixtasque dabant equitum peditumque ruinas:
nam transversa feros exibant dentis adactus
iumenta aut pedibus ventos erecta petebant,
nequiquam, quoniam ab nervis succisa videres
concidere atque gravi terram consternere casu.
si quos ante domi domitos satis esse putabant,
effervescere cernebant in rebus agundis,
volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu,

nec poterant ullam partem redducere eorum:
diffugiebat enim varium genus omne ferarum;
ut nunc saepe bovès lucae ferro male mactae
diffugiunt, fera fata suis cum multa dedere.
sic fuit ut facerent. sed vix adducor ut, ante
quam commune malum fieret foedumque, futurum
non quierint animo praesentire atque videre.
[et magis id possis factum contendere in omni
in variis mundis varia ratione creatis
quam certo atque uno terrarum quolibet orbi]
sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,
quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
qui numero diffidebant armisque vacabant.
    Nexilis ante fuit vestis quam textile tegmen.
textile post ferrumst, quia ferro tela paratur,
nec ratione alia possunt tam levia gigni
insilia ac fusi, radii, scapique sonantes.
et facere ante viros lanam natura coëgit
quam muliebre genus: nam longe praestat in arte
et sollertius est multo genus omne virile;
agricolae donec vitio vertere severi,
ut muliebribus id manibus concedere vellent
atque ipsi pariter durum sufferre laborem,
atque opere in duro durarent membra manusque.
    At specimen sationis et insitionis origo
ipsa fuit rerum primum natura creatrix,
arboribus quoniam bacae glandesque caducae
tempestiva dabant pullorum examina supter;
unde etiam libitumst stirpis committere ramis
et nova defodere in terram virgulta per agros.
inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
temptabant, fructusque feros mansuescere terram
cernebant indulgendo blandeque colendo.
inque dies magis in montem succedere silvas
cogebant infraque locum concedere cultis,
prata lacus rivos segetes vinetaque laeta
collibus et campis ut haberent, atque olearum
caerula distinguens inter plaga currere posset

per tumulos et convallis camposque profusa;
ut nunc esse vides vario distincta lepore
omnia, quae pomis intersita dulcibus ornant
arbustisque tenent felicibus opsita circum.
|| At liquidas avium voces imitarier ore
ante fuit multo quam levia carmina cantu
concelebrare homines possent aurisque iuvare.
et zephyri, cava per calamorum, sibila primum
agrestis docuere cavas inflare cicutas.
inde minutatim dulcis didicere querellas,
tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
avia per nemora ac silvas saltusque reperta,
per loca pastorum deserta atque otia dia.
[sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
in medium ratioque in luminis erigit oras]
haec animos ollis mulcebant atque iuvabant
cum satiate cibi: nam tum sunt carmina cordi.
saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivom sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora habebant,
praesertim cum tempestas ridebat et anni
tempora pingebant viridantis floribus herbas.
tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
consuerant. agrestis enim tum musa vigebat:
tum caput atque umeros plexis redimire coronis
floribus et foliis lascivia laeta monebat,
atque extra numerum procedere membra moventes
duriter et duro terram pede pellere matrem;
unde oriebantur risus dulcesque cachinni,
omnia quod nova tum magis haec et mira vigebant.
et vigilantibus hinc aderant solacia somni,
ducere multimodis voces et flectere cantus
et supera calamos unco percurrere labro;
unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur,
et numerum servare sonis didicere, neque hilo
maiorem interea capiunt dulcedini' fructum
quam silvestre genus capiebat terrigenarum.
nam quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante

suavius, in primis placet et pollere videtur,
posteriorque fere melior res illa reperta
perdit et immutat sensus ad pristina quaeque.
sic odium coepit glandis, sic illa relicta
strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta.
pellis item cecidit vestis contempta ferinae;
quam reor invidia tali tunc esse repertam,
ut letum insidiis qui gessit primus obiret,
et tamen inter eos distractam sanguine multo
disperiisse neque in fructum convertere quisse.
tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
exercent hominum vitam belloque fatigant;
quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit.
frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
terrigenas: at nos nil laedit veste carere
purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
dum plebeia tamen sit, quae defendere possit.
ergo hominum genus in cassum frustraque laborat
semper et *in* curis consumit inanibus aevom,
nimirum, quia non cognovit quae sit habendi
finis et omnino quoad crescat vera voluptas:
idque minutatim vitam provexit in altum
et belli magnos commovit funditus aestus. ||
At vigiles mundi magnum versatili' templum
sol et luna suo lustrantes lumine circum
perdocuere homines annorum tempora verti
et certa ratione geri rem atque ordine certo.
Iam validis saepti degebant turribus aevom,
et divisa colebatur discretaque tellus,
iam mare velivolis florebat puppibus, et res
auxilia ac socios iam pacto foedere habebant,
carminibus cum res gestas coepere poëtae
tradere: nec multo priu' sunt elementa reperta.
propterea quid sit prius actum respicere actas
nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia atque agri culturas, moenia, leges,
arma, vias, vestes, *et* cetera de genere horum,
praemia, delicias quoque vitae funditus omnis,

carmina, picturas, et daedala signa polire,
usus et impigrae simul experientia mentis
paulatim docuit pedetemtim progredientis.
sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
in medium ratioque in luminis erigit oras:
namque alid ex alio clarescere conveniebat,
artibus ad summum donec venere cacumen.

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER SEXTUS.

Primae frugiparos fetus mortalibus aegris
dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae,
et recreaverunt vitam legesque rogarunt,
et primae dederunt solacia dulcia vitae,
cum genuere virum tali cum corde repertum,
omnia veridico qui quondam ex ore profudit;
cuius, et extincti, propter divina reperta
divolgata vetus iam ad caelum gloria fertur.
nam cum vidit hic ad victum quae flagitat usus
omnia iam ferme mortalibus esse parata,
et, proquam posset, vitam consistere tutam,
divitiis homines et honore et laude potentis
affluere atque bona gnatorum excellere fama,
nec minus esse domi cuiquam tamen anxia corda,
atque animi ingratis vitam vexare *timore*
*f*austam atque infestis cogi saevire querellis,
intellegit ibi vitium vas efficere ipsum,
omniaque illius vitio corrumpier intus,
quae conlata foris, et commoda, cumque venirent:

partim quod fluxum pertusumque esse videbat,
ut nulla posset ratione explerier umquam;
partim quod taetro quasi conspurcare sapore
omnia cernebat, quaecumque receperat, intus.
veridicis igitur purgavit pectora dictis,
et finem statuit cuppedinis atque timoris,
exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes,
quid foret, atque viam monstravit, tramite parvo
qua possemus ad id recto contendere cursu,
quidve mali foret in rebus mortalibu' passim,
quod fieret naturali varieque volaret
seu causa seu vi, quod sic natura parasset,
et quibus e portis occurri cuique deceret,
et genus humanum frustra plerumque probavit
volvere curarum tristis in pectore fluctus.
nam veluti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
interdum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis nec lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.
quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
    Et quoniam docui mundi mortalia templa
esse *et* nativo consistere corpore caelum,
et quaecumque in eo fiunt *possunt*que necessest
pleraque dissolui, quae restant percipe porro,
quandoquidem semel insignem conscendere currum

*

ventorum existant, placentur omnia rursum

*

quae fuerint, sint placato conversa furore:
cetera quae fieri in terris caeloque tuentur
mortales, pavidis cum pendent mentibu' saepe,
haec faciunt animos humilis formidine divom
depressosque premunt ad terram propterea quod
ignorantia causarum conferre deorum

cogit ad imperium res et concedere regnum.
[quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur]
nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religionis,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
quanam sit rationi atque alte terminus haerens;
quo magis errantes caeca ratione feruntur.
quae nisi respuis ex animo longeque remittis
dis indigna putare alienaque pacis eorum,
delibata deum per te tibi numina sancta
saepe oberunt; non quo violari summa deum vis
possit, ut ex ira poenas petere inbibat acris,
sed quia tute tibi placida cum pace quietos
constitues magnos irarum volvere fluctus,
nec delubra deum placido cum pectore adibis,
nec de corpore quae sancto simulacra feruntur
in mentes hominum divinae nuntia formae,
suscipere haec animi tranquilla pace valebis.
inde videre licet qualis iam vita sequatur.
quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
reiciat, quamquam sunt a me multa profecta,
multa tamen restant et sunt ornanda politis
versibus: est ratio *fulgendi* visque tonandi,
sunt tempestates et fulmina clara canenda,
|| quid faciant et qua de causa cumque ferantur;
ne trepides caeli divisis partibus amens,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partim, quo pacto per loca septa
insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se. ||
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.
tu mihi supremae praescripta ad candida calcis

currenti spatium praemonstra, callida musa
Calliope, requies hominum divomque voluptas,
te duce ut insigni capiam cum laude coronam.
  Principio tonitru quatiuntur caerula caeli
propterea quia concurrunt sublime volantes
aetheriae nubes contra pugnantibu' ventis.
nec fit enim sonitus caeli de parte serena,
verum ubicumque magis denso sunt agmine nubes,
tam magis hinc magno fremitus fit murmure saepe.
praeterea neque tam condenso corpore nubes
esse queunt quam sunt lapides ac tigna, neque autem
tam tenues quam sunt nebulae fumique volantes:
nam cadere ab bruto deberent pondere pressae
ut lapides, aut ut fumus constare nequirent
nec cohibere nives gelidas et grandinis imbris.
dant etiam sonitum patuli super aequora mundi,
carbasus ut quondam magnis intenta theatris
dat crepitum malos inter iactata trabesque,
interdum perscissa furit petulantibus auris
et fragilis *sonitus* chartarum commeditatur:
id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis,
aut ubi suspensam vestem chartasve volantis
verberibus venti versant planguntque per auras.
fit quoque enim interdum *ut* non tam concurrere nubes
frontibus adversis possint quam de latere ire
diverso motu radentes corpora tractim,
aridus unde auris terget sonus ille diuque
ducitur, exierunt donec regionibus artis.
  Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur
omnia saepe gravi tremere et divolsa repente
maxima dissiluisse capacis moenia mundi,
cum subito validi venti conlecta procella
nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem
turbine versanti magis ac magis undique nubem
cogit uti fiat spisso cava corpore circum,
post ubi comminuit vis eius et impetus acer,
tum perterricrepo sonitu dat scissa fragorem.
nec mirum, cum plena animae vensicula parva

noenu ita det parvum sonitum displosa repente.
Est etiam ratio, cum venti nubila perflant,
ut sonitus faciant: etenim ramosa videmus
nubila saepe modis multis atque aspera ferri;
scilicet, ut, crebram silvam cum flamina cauri
perflant, dant sonitum frondes ramique fragorem.
fit quoque ut interdum validi vis incita venti
perscindat nubem perfringens impete recto:
nam quid possit ibi flatus manifesta docet res,
hic, ubi lenior est, in terra cum tamen alta
arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
dant in frangendo graviter; quod item fit in altis
fluminibus magnoque mari, cum frangitur aestus.
id quoque, ubi e nubi in nubem vis incidit ardens
fulminis, haec multo si forte umore recepit
ignem, continuo magno clamore trucidat;
ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.
aridior porro si nubes accipit ignem,
uritur ingenti sonitu succensa repente;
lauricomos ut si per montis flamma vagetur
turbine ventorum comburens impete magno:
nec res ulla magis quam Phoebi Delphica laurus
terribili sonitu flamma crepitante crematur.
denique saepe geli multus fragor atque ruina
grandinis in magnis sonitum dat nubibus alte:
ventus enim cum confercit, franguntur in arto
concreti montes nimborum et grandine mixti.
Fulgit item, nubes ignis cum semina multa
excussere suo concursu; ceu lapidem si
percutiat lapis aut ferrum: nam tum quoque lumen
exilit et claras scintillas dissipat ignis.
sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
fulgere quam cernant oculi, quia semper ad auris
tardius adveniunt quam visum quae moveant res.
id licet hinc etiam cognoscere. caedere si quem
ancipiti videas ferro procul arboris auctum,

ante fit ut cernas ictum quam plaga per auris
det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante
quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
e simili causa, concursu natus eodem.
Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
nubes et tremulo tempestas impete fulgit.
ventus ubi invasit nubem et versatus ibidem
fecit ut ante cavam docui spissescere nubem,
mobilitate sua fervescit; ut omnia motu
percalefacta vides ardescere, plumbea vero
glans etiam longo cursu volvenda liquescit.
ergo fervidus hic nubem cum perscidit atram,
dissipat ardoris quasi per vim expressa repente
semina, quae faciunt nictantia fulgura flammae:
inde sonus sequitur, qui tardius adficit auris
quam quae perveniunt oculorum ad lumina nostra.
scilicet, hoc densis fit nubibus et simul alte
extructis aliis alias super impete miro.
nec tibi sit frudi quod nos inferna videmus
quam sint lata magis quam sursum extructa quid extent.
contemplator enim, cum montibus adsimulata
nubila portabunt venti transversa per auras,
aut ubi per magnos montis cumulata videbis
insuper esse aliis alia atque urguere superne
in statione locata sepultis undique ventis;
tum poteris magnas moles cognoscere eorum
speluncasque velut saxis pendentibu' structas
cernere, quas venti cum tempestate coorta
conplerunt, magno indignantur murmure clausi
nubibus, in caveisque ferarum more minantur,
nunc hinc nunc illinc fremitus per nubila mittunt,
quaerentesque viam circumversantur, et ignis
semina convolvunt *e* nubibus atque ita cogunt
multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
donec divolsa fulserunt nube corusci.
Hac etiam fit uti de causa mobilis ille
devolet in terram liquidi color aureus ignis,
semina quod nubes ipsas permulta necessust

ignis habere: etenim cum sunt umore sine ullo,
flammeus est plerumque colos et splendidus ollis.
quin etiam solis de lumine multa necessest
concipere, ut merito rubeant ignesque profundant.
hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum
compressitque locum cogens, expressa profundunt
semina, quae faciunt flammae fulgore colores.
fulgit item, cum rarescunt quoque nubila caeli.
nam cum ventus eas leviter diducit euntis
dissoluitque, cadant ingratis illa necessest
semina quae faciunt fulgorem: tum sine taetro
terrore et sonitu fulgit nulloque tumultu.
Quod superest, *quali* natura praedita constent
fulmina, declarant ictu eius inusta vaporis
signa notaeque gravis halantis sulpuris auras:
ignis enim sunt haec non venti signa neque imbris.
praeterea saepe accendunt quoque tecta domorum
et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis.
hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem
constituit natura minutis mobilibusque
corporibus, cui nil omnino obsistere possit.
transit enim validum fulmen [per septa domorum
clamor ut ac voces transit] per saxa, per aera.
et liquidum puncto facit aes in tempore et aurum,
curat item *ut* vasis integris vina repente
diffugiant, quia, nimirum, facile omnia circum
conlaxat rareque facit lateramina vasis
adveniens calor eius, et insinuatus in ipsum
mobiliter soluens differt primordia vini.
quod solis vapor aetatem non posse videtur
efficere usque adeo pollens fervore corusco.
tanto mobilior vis et dominantior haec est.
Nunc ea quo pacto gignantur et impete tanto
fiant ut possint ictu discludere turris,
disturbare domos, avellere tigna trabesque,
et lamenta virum commoliri atque ciere,
exanimare homines, pecudes prosternere passim,
cetera de genere hoc qua vi facere omnia possint,

expediam, neque *te* in promissis plura morabor.
Fulmina gignier e crassis alteque putandumst
nubibus extructis: nam caelo nulla sereno
nec leviter densis mittuntur nubibus umquam.
nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res;
quod tum per totum concrescunt aëra nubes,
undique uti tenebras omnis Acherunta reamur
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo tetra nimborum nocte coorta
inpendent atrae formidinis ora superne,
cum commoliri tempestas fulmina coeptat.
praeterea persaepe niger quoque per mare nimbus,
ut picis e caelo demissum flumen, in undas
sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram
fulminibus gravidam tempestatem atque procellis,
ignibus ac ventis cum primis ipse repletus,
in terra quoque ut horrescant ac tecta requirant.
sic igitur supera nostrum caput esse putandumst
tempestatem altam. neque enim caligine tanta
obruerent terras, nisi inaedificata superne
multa forent multis exempto nubila sole:
nec tanto possent venientes opprimere imbri,
flumina abundare ut facerent camposque natare,
si non extructis foret alte nubibus aether.
hic igitur ventis atque ignibus omnia plena
sunt: ideo passim fremitus et fulgura fiunt.
quippe etenim supra docui permulta vaporis
semina habere cavas nubes, et multa necessest
concipere ex solis radiis ardoreque eorum.
hoc ubi ventus eas idem qui cogit in unum
forte locum quemvis, expressit multa vaporis
semina seque simul cum eo commiscuit igni,
insinuatus ibi vortex versatur in arto
et calidis acuit fulmen fornacibus intus:
nam duplici ratione accenditur, ipse sua cum
mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
inde ubi percaluit venti vis et gravis ignis
impetus incessit, maturum tum quasi fulmen

perscindit subito nubem, ferturque coruscis
omnia luminibus lustrans loca percitus ardor.
quem gravis insequitur sonitus, displosa repente
occidere ut caeli videantur templa superne.
inde tremor terras graviter pertemptat, et altum
murmura percurrunt caelum: nam tota fere tum
tempestas concussa tremit fremitusque moventur.
quo de concussu sequitur gravis imber et uber,
omnis uti videatur in imbrem vertier aether
atque ita praecipitans ad diluviem revocari:
tantus discidio nubis ventique procella
mittitur, ardenti sonitus cum provolat ictu.
est etiam cum vis extrinsecus incita venti
incidit in calidam maturo fulmine nubem;
quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
vertex, quem patrio vocitamus nomine fulmen.
hoc fit idem in partis alias, quocumque tulit vis.
fit quoque ut interdum venti vis missa sine igni
igniscat tamen in spatio longoque meatu,
cum venit amittens in cursu corpora quaedam
grandia, quae nequeunt pariter penetrare per auras,
atque alia ex ipso conradens aëre portat
parvola, quae faciunt ignem commixta volando;
non alia longe ratione ac plumbea saepe
fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
corpora dimittens ignem concepit in auris.
fit quoque ut ipsius plagae vis excitet ignem,
frigida cum venti pepulit vis missa sine igni,
nimirum, quia, cum vementi perculit ictu,
confluere ex ipso possunt elementa vaporis,
et simul ex illa quae tum res excipit ictum;
ut, lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis,
nec, quod frigida vis ferrist, hoc setius illi
semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
opportuna fuit si forte et idonea flammis.
nec temere omnino plane vis frigida venti
esse potest, ea quae tanta vi missa supernest,

quin, prius in cursu si non accenditur igni,
at tepefacta tamen veniat commixta calore.
Mobilitas autem fit fulminis et gravis ictus,
et celeri ferme percurrunt fulmina lapsu,
nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
colligit et magnum conamen sumit eundi,
inde ubi non potuit nubes capere inpetis auctum,
exprimitur vis atque ideo volat impete miro,
ut validis quae de tormentis missa feruntur.
adde quod e parvis et levibus est elementis,
nec facilest tali naturae opsistere quicquam:
inter enim fugit ac penetrat per rara viarum,
non igitur multis offensibus in remorando
haesitat, hanc ob rem celeri volat impete labens,
deinde, quod omnino natura pondera deorsum
omnia nituntur, cum plagast addita vero,
mobilitas duplicatur et impetus ille gravescit,
ut vementius et citius quaecumque morantur
obvia discutiat plagis itinerque sequatur.
denique quod longo venit impete, sumere debet
mobilitatem etiam atque etiam, quae crescit eundo
et validas auget viris et roborat ictum:
nam facit ut quae sint illius semina cumque
e regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
omnia coniciens in eum volventia cursum.
forsitan ex ipso veniens trahat aëre quaedam
corpora, quae plagis incendunt mobilitatem.
incolumisque venit per res atque integra transit
multa, foraminibus liquidus quia transvolat ignis.
multaque perfigit, cum corpora fulminis ipsa
corporibus rerum inciderunt, qua texta tenentur.
dissoluit porro facile aes aurumque repente
confervefacit, e parvis quia facta minute
corporibus vis est et levibus ex elementis,
quae facile insinuantur et insinuata repente
dissoluont nodos omnis et vincla relaxant.
autumnoque magis stellis fulgentibus apta
concutitur caeli domus undique totaque tellus,

et cum tempora se veris florentia pandunt.
frigore enim desunt ignes, ventique calore
deficiunt neque sunt tam denso corpore nubes.
interutraque igitur cum caeli tempora constant,
tum variae causae concurrunt fulminis omnes:
nam fretus ipse anni permiscet frigus *et* aestum,
quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nubi,
ut discordia *sit* rerum magnoque tumultu
ignibus et ventis furibundus fluctuet aër.
prima caloris enim pars si est postrema rigoris,
tempus id est vernum, quo res pugnare necessest
dissimilis inter se*se* turbareque mixtas:
et calor extremus primo cum frigore mixtus
volvitur, autumni quod fertur nomine tempus.
hic quoque confligunt hiemes aestatibus acres.
propterea *freta* sunt haec anni nominitanda,
nec mirumst, in eo si tempore plurima fiunt
fulmina tempestasque cietur turbida caelo,
ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
hinc flammis, illinc ventis, umoreque mixto.
   Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
perspicere et qua vi faciat rem quamque videre,
non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
indicia occultae divum perquirere mentis,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partim, quo pacto per loca saepta
insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se,
quidve nocere queat de caelo fulminis ictus.
quod si Iuppiter atque alii fulgentia divi
terrifico quatiunt sonitu caelestia templa
et iaciunt ignem quo cuiquest cumque voluptas,
cur quibus incautum scelus aversabile cumquest
non faciunt icti flammas ut fulguris halent
pectore perfixo, documen mortalibus acre,
et potius nulla sibi turpi conscius in re
volvitur in flammis innoxius inque peditur
turbine caelesti subito correptus et igni?
cur etiam loca sola petunt frustraque laborant?

an tum bracchia consuescunt firmantque lacertos?
in terraque patris cur telum perpetiuntur
optundi? cur ipse sinit, neque parcit in hostis?
denique cur numquam caelo iacit undique puro
Iuppiter in terras fulmen sonitusque profundit?
an simul ac nubes successere, ipse in eas tum
descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
in mare qua porro mittit ratione? quid undas
arguit et liquidam molem camposque natantis?
praeterea si vult caveamus fulminis ictum,
cur dubitat facere ut possimus cernere missum?
si necopinantis autem volt opprimere igni,
cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus,
cur tenebras ante et fremitus et murmura concit?
et simul in multas partis qui credere possis
mittere? an hoc ausis numquam contendere factum,
ut fierent ictus uno sub tempore plures?
at saepest numero factum fierique necessest,
ut pluere in multis regionibus et cadere imbris,
fulmina sic uno fieri sub tempore multa.
postremo cur sancta deum delubra suasque
discutit infesto praeclaras fulmine sedes
et bene facta deum frangit simulacra suisque
demit imaginibus violento volnere honorem?
altaque cur plerumque petit loca, plurimaque eius
montibus in summis vestigia cernimus ignis?
  Quod superest, facilest ex his cognoscere rebus,
presteras Grai quos ab re nominitarunt,
in mare qua missi veniant ratione superne.
nam fit ut interdum tamquam demissa columna
in mare de caelo descendat, quam freta circum
fervescunt graviter spirantibus incita flabris,
et quaecumque in eo tum sint deprensa tumultu
navigia in summum veniant vexata periclum.
hoc fit ubi interdum non quit vis incita venti
rumpere quam coepit nubem, sed deprimit, ut sit
in mare de caelo tamquam demissa columna,
paulatim, quasi quid pugno bracchique superne

coniectu trudatur et extendatur in undas;
quam cum discidit, hinc prorumpitur in mare venti
vis et fervorem mirum concinnat in undis:
versabundus enim turbo descendit et illam
deducit pariter lento cum corpore nubem;
quam simul ac gravidam detrusit ad aequora ponti,
ille in aquam subito totum se inmittit et omne
excitat ingenti sonitu mare fervere cogens.
fit quoque ut involvat venti se nubibus ipse
vertex, conradens ex aëre semina nubis,
et quasi demissum caelo prestera imitetur:
hic ubi se in terras demisit dissoluitque,
turbinis inmanem vim provomit atque procellae.
sed quia fit raro omnino montisque necessest
officere in terris, apparet crebrius idem
prospectu maris in magno caeloque patenti.

Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando
hoc supero in caeli spatio coïere repente
asperiora, moris quae possint indupedita
exiguis tamen inter se comprensa teneri.
haec faciunt primum parvas consistere nubes:
inde haec comprendunt inter se conque gregantur
et coniungendo crescunt ventisque feruntur
usque adeo donec tempestas saeva coortast.
fit quoque uti montis vicina cacumina caelo
quam sint quoque magis, tanto magis edita fument
adsidue furvae nubis caligine crassa
propterea quia, cum consistunt nubila primum,
ante videre oculi quam possint, tenvia, venti
portantes cogunt ad summa cacumina montis:
hic demum fit uti turba maiore coorta
et condensa queant apparere et simul ipso
vertice de montis videantur surgere in aethram:
nam loca declarat sursum ventosa patere
res ipsa et sensus, montis cum ascendimus altos.
praeterea permulta mari quoque tollere toto
corpora naturam declarant litore vestes
suspensae, cum concipiunt umoris adhaesum.

quo magis ad nubis augendas multa videntur
posse quoque e salso consurgere momine ponti:
nam ratio consanguineast umoribus ollis.
praeterea fluviis ex omnibus et simul ipsa
surgere de terra nebulas aestumque videmus,
quae velut halitus hinc ita sursum expressa feruntur
suffunduntque sua caelum caligine et altas
sufficiunt nubis paulatim conveniundo:
urget enim quoque signiferi super aetheris aestus
et quasi densendo subtexit caerula nimbis.
fit quoque ut huc veniant in caelum extrinsecus illa
corpora quae faciunt nubis nimbosque volantis:
innumerabilem enim numerum summamque profundi
esse infinitam docui, quantaque volarent
corpora mobilitate ostendi quamque repente
inmemorabile *per* spatium transire solerent.
haut igitur mirumst, si parvo tempore saepe
tam magnae molis tempestas atque tenebrae
coperiunt maria ac terras inpensa superne,
undique quandoquidem per caulas aetheris omnis
et quasi per magni circum spiracula mundi
exitus introitusque elementis redditus extat.
Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis
nubibus umor, et in terras demissus ut imber
decidat, expediam. primum iam semina aquai
multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
omnibus ex rebus, pariterque ita crescere utrumque,
et nubis, et aquam, quaecumque in nubibus extat,
ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
sudor item, atque umor quicumque est denique membris.
concipiunt etiam multum quoque saepe marinum
umorem, veluti pendentia vellera lanae,
cum supera magnum mare venti nubila portant.
consimili ratione ex omnibus amnibus umor
tollitur in nubis. quo cum bene semina aquarum
multa modis multis convenere undique adaucta,
confertae nubes *imbris de*mittere certant
dupliciter: nam vis venti contrudit, et ipsa

copia nimborum turba maiore coacta
urget, de supero premit, ac facit effluere imbris.
praeterea cum rarescunt quoque nubila ventis
aut dissolvuntur, solis super icta calore,
mittunt umorem pluvium, stillantque, quasi igni
cera super calido tabescens multa liquescat.
sed vemens imber fit, ubi vementer utraque
nubila vi cumulata premuntur et impete venti.
at remanere diu pluviae longumque morari
consuerunt, ubi multa cientur semina aquarum,
atque aliis aliae nubes nimbique rigantes
insuper atque omni vulgo de parte feruntur,
terraque cum fumans umorem tota redhalat.
hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,
adversa fulsit nimborum aspargine contra,
tum color in nigris existit nubibus arqui.
  Cetera quae seorsum crescunt seorsumque creantur,
et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum
omnia, nix, venti, grando, gelidaeque pruinae,
et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
et mora quae fluvios passim refrenat euntis,
perfacilest tamen haec reperire animoque videre
omnia quo pacto fiant quareve creentur,
cum bene cognoris elementis reddita quae sint.
  Nunc age, quae ratio terrai motibus extet
percipe. et in primis terram fac ut esse rearis
supter item ut supera ventosis undique plenam
speluncis, multosque lacus multasque lucunas
in gremio gerere et rupes deruptaque saxa:
multaque sub tergo terrai flumina tecta
volvere vi fluctus summersaque saxa putandumst:
undique enim similem esse sui res postulat ipsa.
his igitur rebus subiunctis suppositisque
terra superne tremit magnis concussa ruinis,
subter ubi ingentis speluncas subruit aetas:
quippe cadunt toti montes, magnoque repente
concussu late disserpunt inde tremores.
et merito, quoniam plaustri concussa tremescunt

tecta, viam propter, non magno pondere tota,
nec minus exultant, et ubi lapi' cumque viai
ferratos utrimque rotarum succutit orbes.
fit quoque, ubi in magnas aqüae vastasque lucunas
gleba vetustate e terra provolvitur ingens,
ut iactetur aquae fluctu quoque terra vacillans;
ut vas inter*dum* non quit constare, nisi umor
destitit in dubio fluctu iactarier intus.
Praeterea ventus cum per loca subcava terrae
collectus parte ex una procumbit et urget
obnixus magnis speluncas viribus altas,
incumbit tellus quo venti prona premit vis:
tum supera terram quae sunt extructa domorum,
ad caelumque magis quanto sunt edita quaeque,
inclinata abeunt in eandem prodita partem,
protractaeque trabes inpendent ire paratae.
et metuunt magni naturam credere mundi
exitiale aliquod tempus clademque manere,
cum videant tantam terrarum incumbere molem!
quod nisi respirent venti, vis nulla refrenet
res neque ab exitio possit reprehendere euntis:
nunc quia respirant alternis inque gravescunt
et quasi collecti redeunt ceduntque repulsi,
saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas
quam facit: inclinatur enim retroque recellit,
et recipit prolapsa suas in pondera sedes.
hac igitur ratione vacillant omnia tecta
summa magis mediis, media imis, ima perhilum.
Est haec eiusdem quoque magni causa tremoris,
ventus ubi atque animae subito vis maxima quaedam
aut extrinsecus aut ipsa tellure coorta
in loca se cava terrai coniecit, ibique
speluncas inter magnas fremit ante tumultu
versabundaque portatur, post incita cum vis
exagitata foras erumpitur et simul altam
diffindens terram magnum concinnat hiatum.
in Syria Sidone quod accidit et fuit Aegi
in Peloponneso, quas exitus hic animai

disturbat urbes et terrae motus obortus:
multaque praeterea ceciderunt moenia magnis
motibus in terris, et multae per mare pessum
subsedere suis pariter cum civibus urbes.
quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animai
et fera vis venti per crebra foramina terrae
dispertitur ut horror et incutit inde tremorem;
frigus uti nostros penitus cum venit in artus,
concutit invitos cogens tremere atque movere.
ancipiti trepidant igitur terrore per urbis,
tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
terrai ne dissoluat natura repente,
neu distracta suum late dispandat hiatum
atque suis confusa velit complere ruinis.
proinde licet quamvis caelum terramque reantur
incorrupta fore aeternae mandata saluti:
et tamen interdum praesens vis ipsa pericli
subdit adhuc stimulum quadam de parte timoris,
ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
in barathrum, rerumque sequatur prodita summa
funditus, et fiat mundi confusa ruina.
|| Principio mare mirantur non reddere maius
naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
omnia quo veniant ex omni flumina parte.
adde vagos imbris tempestatesque volantes,
omnia quae maria ac terras sparguntque rigantque:
adde suos fontis: tamen ad maris omnia summam
guttai vix instar erunt unius adaugmen;
quo minus est mirum mare non augescere magnum.
praeterea magnam sol partem detrahit aestu.
quippe videmus enim vestis umore madentis
exsiccare suis radiis ardentibu' solem:
at pelage multa et late substrata videmus.
proinde licet quamvis ex uno quoque loco sol
umoris parvam delibet ab aequore partem:
largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
tum porro venti quoque magnam tollere partem
umoris possunt verrentes aequora, ventis

una nocte vias quoniam persaepe videmus
siccari mollisque luti concrescere crustas.
praeterea docui multum quoque tollere nubes
umorem magno conceptum ex aequore ponti,
et passim toto terrarum spargere in orbi,
cum pluit in terris et venti nubila portant.
postremo quoniam raro cum corpore tellus
est, et coniunctast, oras maris undique cingens,
debet, ut in mare de terris venit umor aquai,
in terras itidem manare ex aequore salso:
percolatur enim virus, retroque remanat
materies umoris et ad caput amnibus omnis
confluit, inde super terras redit agmine dulci
qua via secta semel liquido pede detulit undas. ||
Nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae
expirent ignes interdum turbine tanto,
expediam: neque enim mediocri clade coorta
flammea tempestas Siculum dominata per agros
finitimis ad se convertit gentibus ora,
fumida cum caeli scintillare omnia templa
cernentes pavida complebant pectora cura,
quid moliretur rerum natura novarum.
Hisce tibi in rebus latest alteque videndum
et longe cunctas in partis dispiciendum,
ut reminiscaris summam rerum esse profundam,
et videas caelum summai totius unum
quam sit parvula pars et quam multesima constet,
nec tota pars, homo terrai quota totius unus.
quod bene propositum si plane contueare
ac videas plane, mirari multa relinquas.
numquis enim nostrum miratur, siquis in artus
accepit calido febrim fervore coortam
aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
opturgescit enim subito pes, arripit acer
saepe dolor dentes, oculos invadit in ipsos,
existit sacer ignis et urit corpore serpens
quamcumque arripuit partim, repitque per artus,
nimirum, quia sunt multarum semina rerum,

et satis haec tellus nobis caelumque mali fert,
unde queat vis immensi procrescere morbi.
sic igitur toti caelo terraeque putandumst
ex infinito satis omnia suppeditare,
unde repente queat tellus concussa moveri
perque mare ac terras rapidus percurrere turbo,
ignis abundare Aetnaeus, flammescere caelum:
id quoque enim fit, et ardescunt caelestia templa,
et tempestates pluviae graviore coortu
sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.
'at nimis est ingens incendi turbidus ardor.'
scilicet, et fluvius quivis est maximus ei
qui non ante aliquem maiorem vidit, et ingens
arbor homoque videtur, et omnia de genere omni
maxima quae vidit quisque, haec ingentia fingit,
cum tamen omnia cum caelo terraque marique
nil sint ad summam summai totius omnem.

Nunc tamen illa modis quibus inritata repente
flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet,
expediam. primum totius subcava montis
est natura, fere silicum suffulta cavernis.
omnibus est porro in speluncis ventus et aër.
ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër:
hic ubi percaluit calefecitque omnia circum
saxa furens, qua contingit, terramque, et ab ollis
excussit calidum flammis velocibus ignem,
tollit se ac rectis ita faucibus eicit alte.
fert itaque ardorem longe, longeque favillam
differt, et crassa volvit caligine fumum,
extruditque simul mirando pondere saxa;
ne dubites quin haec animai turbida sit vis.
praeterea magna ex parti mare montis ad eius
radices frangit fluctus aestumque resorbet.
ex hoc usque mari speluncae montis ad altas
perveniunt subter fauces. hac ire fatendumst
et penetrare maris penitus percocta in apertum
atque efflare foras, ideoque extollere flammam
saxaque subiectare et arenae tollere nimbos.

in summo sunt vertice enim crateres, ut ipsi
nominitant; nos quod fauces perhibemus et ora.
Sunt aliquot quoque res quarum unam dicere causam
non satis est, verum pluris, unde una tamen sit;
corpus ut exanimum siquod procul ipse iacere
conspicias hominis, fit ut omnis dicere causas
conveniat leti, dicatur ut illius una:
nam neque eum ferro nec frigore vincere possis
interiisse neque a morbo neque forte veneno,
verum aliquid genere esse ex hoc quod contigit ei
scimus. item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in aestatem crescit campisque redundat,
unicus in terris Aegypti totius amnis.
is rigat Aegyptum medium per saepe calorem,
aut quia sunt aestate aquilones ostia contra,
anni tempore eo qui etesiae esse feruntur,
et contra fluvium flantes remorantur et undas
cogentes sursus replent coguntque manere.
nam dubio procul haec adverso flabra feruntur
flumine, quae gelidis ab stellis axis aguntur:
ille ex aestifera parti venit amnis ab austro,
inter nigra virum percocto saecla colore
exoriens penitus media ab regione diei.
est quoque uti possit magnus congestus arenae
fluctibus adversis oppilare ostia contra,
cum mare permotum ventis ruit intus arenam;
quo fit uti pacto liber minus exitus amni
et proclivis item fiat minus impetus undis.
fit quoque uti pluviae, forsan, magis ad caput ei
tempore eo fiant, quod etesia flabra aquilonum
nubila coniciunt in eas tunc omnia partis:
scilicet, ad mediam regionem eiecta diei
cum convenerunt, ibi ad altos denique montis
contrusae nubes coguntur vique premuntur.
forsitan Aethiopum penitus de montibus altis
crescat, ubi in campos albas descendere ningues
tabificis subigit radiis sol omnia lustrans.
Nunc age, Averna tibi quae sint loca cumque lacusque

expediam, quali natura praedita constent.
principio, quo Averna vocantur nomine, id ab re
inpositumst, quia sunt avibus contraria cunctis,
e regione ea quod loca cum venere volantes,
remigi oblitae pennarum vela remittunt,
praecipitesque cadunt molli cervice profusae
in terram, si forte ita fert natura locorum,
aut in aquam, si forte lacus substratus Avernist.
is locus est Cumas apud, acri sulpure montes
oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti;
est ut Athenaeis in moenibus, arcis in ipso
vertice, Palladis ad templum Tritonidis almae,
quo numquam pennis appellunt corpora raucae
cornices, non cum fumant altaria donis:
usque adeo fugitant non iras Palladis acris
pervigili causa, Graium ut cecinere poëtae,
sed natura loci vi ibus officit ipsa suapte.
in Syria quoque fertur item locus esse videri,
quadripedes quoque quo simul ac vestigia primum
intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
manibus ut si fit divis mactatu' repente.
omnia quae naturali ratione geruntur,
et quibus effiant causis apparet origo;
ianua ne Puteis Orci regionibus esse
credatur, post hinc animas Acheruntis in oras
ducere forte deos manis inferne reamur,
naribus alipedes ut cervi saepe putantur
ducere de latebris serpentia saecla ferarum.
quod procul a vera quam sit ratione repulsum
percipe: nam de re nunc ipsa dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi saepe quoque ante,
in terra cuiusque modi rerum esse figuras;
multa, cibo quae sunt, vitalia, multaque, morbos
incutere et mortem quae possint adcelerare.
et magis esse aliis alias animantibus aptas
res ad vitai rationem ostendimus ante
propter dissimilem naturam dissimilisque
texturas inter sese primasque figuras.

multa meant inimica per auris, multa per ipsas
insinuant naris infesta atque aspera adactu,
nec sunt multa parum tactu vitanda neque autem
aspectu fugienda saporeque tristia quae sint.
Deinde videre licet quam multae sint homini res
acriter infestae sensu spurcaeque gravesque;
arboribus primum certis gravis umbra tributa
usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores,
siquis eas supter iacuit prostratus in herbis.
est etiam magnis Heliconis montibus arbos
floris odore hominem taetro consueta necare.
scilicet, haec ideo terris ex omnia surgunt
multa modis multis multarum semina rerum,
quod permixta gerit tellus discretaque tradit.
nocturnumque recens extinctum lumen ubi acri
nidore offendit nares, consopit ibidem
concidere et spumas qui morbo mittere suevit.
castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
et manibus nitidum teneris opus effluit ei,
tempore eo si odoratast quo menstrua solvit.
multaque praeterea languentia membra per artus
solvunt atque animam labefactant sedibus intus.
denique si calidis etiam cunctare lavabris
plenior et laveris, solio ferventis aquai
quam facile in medio fit uti des saepe ruinas!
carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
quam facile in cerebrum, nisi aquam praecepimus ante!
at cum membra domus percepit fervidior vis,
tum fit odor viri plagae mactabilis instar.
nonne vides etiam terra quoque sulpur in ipsa
gignier et taetro concrescere odore bitumen;
denique ubi argenti venas aurique secuntur,
terrai penitus scrutantes abdita ferro,
qualis expiret Scaptensula subter odores?
quidve mali fit ut exhalent aurata metalla!
quas hominum reddunt facies qualisque colores!
nonne vides audisve perire in tempore parvo
quam soleant, et quam vitai copia desit,

quos opere in tali cohibet vis magna necessis?
hos igitur tellus omnis exaestuat aestus
expiratque foras in apertum promptaque caeli.
Sic et Averna loca alitibus summittere debent
mortiferam vim, de terra quae surgit in auras,
ut spatium caeli quadam de parte venenet;
quo simul ac primum pennis delata sit ales,
impediatur ibi caeco correpta veneno,
ut cadat e regione loci, qua derigit aestus.
quo cum conruit, hic eadem vis illius aestus
reliquias vitae membris ex omnibus aufert.
quippe etenim primo quasi quendam conciet aestum:
posterius fit uti, cum iam cecidere veneni
in fontis ipsos, ibi sit quoque vita vomenda
propterea quod magna mali fit copia circum.
Fit quoque ut interdum vis haec atque aestus Averni
aëra, qui inter avis cumquest terramque locatus,
discutiat, prope uti locus hic linquatur inanis.
cuius ubi e regione loci venere volantes,
claudicat extemplo pinnarum nisus inanis,
et conamen utrimque alarum proditur omne.
hic ubi nixari nequeunt insistereque alis,
scilicet, in terram delabi pondere cogit
natura, et vacuum prope iam per inane iacentes
dispergunt animas per caulas corporis omnis.

*

frigidior porro in puteis aestate fit umor,
rarescit quia terra calore, et semina si quae
forte vaporis habet proprii, dimittit in auras.
quo magis est igitur tellus effeta calore,
fit quoque frigidior qui in terrast abditus umor.
frigore cum premitur porro omnis terra coitque
et quasi concrescit, fit, scilicet, ut coëundo
exprimat in puteos si quem gerit ipsa calorem.

Esse apud Hammonis fanum fons luce diurna
frigidus et calidus nocturno tempore fertur.
hunc homines fontem nimis admirantur et acri
sole putant supter terras fervescere raptim,
nox ubi terribili terras caligine texit.
quod nimis a verast longe ratione remotum:
quippe, ubi sol nudum contractans corpus aquai
non quierit calidum supera de reddere parte,
cum superum lumen tanto fervore fruatur,
qui queat hic supter tam crasso corpore terram
percoquere umorem et calido donare vapore?
praesertim cum vix possit per septa domorum
insinuare suum radiis ardentibus aestum.
quae ratiost igitur? nimirum, terra magis quod
rara tepet circum fontem quam cetera tellus,
multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.
hoc ubi roriferis terram nox obruit umbris,
extemplo penitus frigescit terra coitque:
hac ratione fit ut, tamquam compressa manu sit,
exprimat in fontem quae semina cumque habet ignis,
quae calidum faciunt aqüae tactum atque saporem.
inde ubi sol radiis terram dimovit obortus
et rarefecit calido gliscente vapore,
rursus in antiquas redeunt primordia sedes
ignis, et in terram cedit calor omnis aquai.
frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
praeterea solis radiis iactatur aquai
umor et in lucem tremulo rarescit ab aestu:
propterea fit uti quae semina cumque habet ignis
dimittat; quasi saepe gelum, quod continet in se,
mittit et exolvit glaciem nodosque relaxat.
Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
stuppa iacit flammam concepto protinus igni,
taedaque consimili ratione accensa per undas
conlucet, quocumque natans impellitur auris.
nimirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
semina, de terraque necessest funditus ipsa
ignis corpora per totum consurgere fontem

et simul exspirare foras exireque in auras,
non ita multa tamen, calidus queat ut fieri fons,
propterea dispersa foras erumpere cogit
vis per aquam subito sursumque ea conciliari.
quod genus endo marist Aradi fons, dulcis aquaï
qui scatit et salsas circum se dimovet undas:
et multis aliis praebet regionibus aequor
utilitatem opportunam sitientibu' nautis,
quod dulcis inter salsas intervomit undas.
sic igitur per eum possunt erumpere fontem
et scatere illa foras in stuppam semina; quo cum
conveniunt aut in taedai corpore adhaerent,
ardescunt facile extemplo, quia multa quoque in se
semina habent ignis stuppae taedaeque latentis.
nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum
nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante
quam tetigit flammam, taedamque pari ratione?
multaque praeterea prius ipso tacta vapore
eminus ardescunt quam comminus imbuat ignis.
hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandumst.
Quod superest, agere incipiam quo foedere fiat
naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit,
quem Magneta vocant patrio de nomine Grai,
Magnetum quia fit patriis in finibus ortu.
hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
saepe ex anellis reddit pendentibus ex se.
quinque etenim licet interdum pluresque videre
ordine demissos levibus iactarier auris,
unus ubi ex uno dependet supter adhaerens,
ex alioque alius lapidis vim vinclaque noscit:
usque adeo permananter vis pervolat eius.
Hoc genus in rebus firmandumst multa prius quam
ipsius rei rationem reddere possis,
et nimium longis ambagibus est adeundum;
quo magis attentas auris animumque reposco.
Principio omnibus ab rebus, quascumque videmus,
perpetuo fluere ac mitti spargique necessest
corpora quae feriant oculos visumque lacessant:

perpetuoque fluunt certis ab rebus odores;
frigus ut a fluviis, calor ab sole, aestus ab undis
aequoris, exesor moerorum, litora propter:
nec varii cessant sonitus manare per auras:
denique in os salsi venit umor saepe saporis,
cum mare versamur propter, dilutaque contra
cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
usque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
fertur et in cunctas dimittitur undique partis,
nec mora nec requies interdatur ulla fluendi,
perpetuo quoniam sentimus et omnia semper.
[cernere odorari licet èt sentire sonare]
Nunc omnis repetam quam raro corpore sint res
commemorare; quod in primo quoque carmine claret.
quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,
qua de disserere adgredior, firmare necessest
nil esse in promptu nisi mixtum corpus inani.
principio fit ut in speluncis saxa superne
sudent umore et guttis manantibu' stillent.
manat item nobis e toto corpore sudor,
crescit barba pilique per omnia membra, per artus.
diditur in venas cibus omnis, auget, alitque
corporis extremas quoque partis unguiculosque.
frigus item transire per aes, calidumque vaporem,
sentimus, sentimus item transire per aurum
atque per argentum, cum pocula plena tenemus.
denique per dissepta domorum saxea voces
pervolitant, permanat odor frigusque vaposque
ignis, qui ferri quoque vim penetrare suëvit
denique qua circum Galli lorica coërcet.
morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur,
e tempestate in terra caeloque coortast,
in caelum terrasque remotas iure facessunt;
quandoquidem nil est nisi raro corpori' nexu.
Huc accedit uti non omnia, quae iaciuntur
corpora cumque ab rebus, eodem praedita sensu
atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.

principio terram sol excoquit et facit are,
at glaciem dissolvit et altis montibus altas
extructasque nives radiis tabescere cogit:
denique cera liquefit in eius posta vapore.
ignes item liquidum facit aes aurumque resolvit,
at coria et carnem trahit et conducit in unum.
umor aquae porro ferrum condurat ab igni,
at coria et carnem mollit durata calore.
barbigeras oleaster eo iuvat usque capellas,
effluat ambrosiae quasi vere et nectari' linctus;
qua nil est homini quod amariu' frondeat esca.
denique amaracinum fugitat sus et timet omne
ungentum: nam saetigeris subus acre venenumst;
quod nos interdum tamquam recreare videtur.
at contra nobis caenum taeterrima cum sit
spurcities, eadem subus haec iucunda videtur,
insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.
Hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re
adgredior quod dicendum prius esse videtur.
multa foramina cum variis sint reddita rebus,
dissimili inter se natura praedita debent
esse et habere suam naturam quaeque viasque.
quippe etenim varii sensus animantibus insunt,
quorum quisque suam proprie rem percipit in se:
nam penetrare alio sonitus alioque saporem
cernimus e sucis, alio nidoris odores.
praeterea manare aliud per saxa videtur,
atque aliud lignis, aliud transire per aurum,
argentoque foras aliud vitroque meare:
nam fluere hac species, illac calor ire videtur,
atque aliis aliut citius transmittere eadem.
scilicet, id fieri cogit natura viarum
multimodis varians, ut paulo ostendimus ante,
propter dissimilem naturam textaque rerum.
Quapropter, bene ubi haec confirmata atque locata
omnia constiterint nobis praeposta parata,
quod superest, facile hinc ratio reddetur, et omnis
causa patefiet, quae ferri pelliciat vim.

principio fluere e lapide hoc permulta necessest
semina, sive aestum, qui discutit aëra plagis,
inter qui lapidem ferrumque est cumque locatus.
hoc ubi inanitur spatium multusque vacefit
in medio locus, extemplo primordia ferri
in vacuum prolapsa cadunt coniuncta, fit utque
anulus ipse sequatur eatque ita corpore toto.
nec res ulla magis primoribus *ex* elementis
indupedita suis arte conexa cohaeret
quam validi ferri natura et frigidus horror.
quo minus est mirum, quod ducitur [ex elementis],
corpora si nequeunt e ferro plura coorta
in vacuum ferri, quin anulus ipse sequatur;
quod facit, et sequitur, donec pervenit ad ipsum
iam lapidem caecisque in eo compagibus haesit.
hoc fit idem cunctas in partis, unde vacefit
cumque locus, sive e transverso sive superne
corpora continuo in vacuum vicina feruntur:
quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa
sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
huc accedit uti, quare queat id magis esse,
haec quoque res adiumento motuque iuvetur,
quod, simul a fronte est anelli rarior aër
factus inanitusque locus magis ac vacuatus,
continuo fit uti qui post est cumque locatus
aër a tergo quasi provehat atque propellat.
semper enim circumpositus res verberat aër:
sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
parte quod ex una spatium vacat et capit in se.
hic, tibi quem memoro, per crebra foramina ferri
parvas ad partis subtiliter insinuatus,
trudit et inpellit, quasi navem velaque ventus.
denique res omnes debent in corpore habere
aëra, quandoquidem raro sunt corpore et aër
omnibus est rebus circumdatus adpositusque.
hic igitur, penitus qui in ferrost abditus aër,
sollicito motu semper iactatur eoque
verberat anellum dubio procul et ciet intus,

scilicet: ille eodem fertur, quo praecipitavit
iam semel et partem in vacuam conamina sumpsit.
Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat
interdum, fugere atque sequi consueta vicissim.
exultare etiam Samothracia ferrea vidi
et ramenta simul ferri furere intus ahenis
in scaphiis, lapis hic Magnes cum subditus esset:
usque adeo fugere ab saxo gestire videtur.
aere interposito discordia tanta creatur
propterea quia, nimirum, prius aestus ubi aeris
praecepit ferrique vias possedit apertas,
posterior lapidis venit aestus et omnia plena
invenit in ferro, neque habet qua tranet ut ante:
cogitur offensare igitur pulsareque fluctu
ferrea texta suo; quo pacto respuit ab se
atque per aes agitat, sine eo quod saepe resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod aestus
non valet e lapide hoc alias impellere item res.
pondere enim fretae partim stant; quod genus aurum
et partim raro quia sunt cum corpore, ut aestus
pervolet intactus, nequeunt inpellier usquam;
lignea materies in quo genere esse videtur.
interutraque igitur ferri natura locata
aeris ubi accepit quaedam corpuscula, tum fit,
inpellant ut eam Magnesia flumine saxa.
nec tamen haec ita sunt aliarum rerum aliena,
ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
quae memorare queam inter singillariter apta.
saxa vides primum sola colescere calce.
glutine materies taurino iungitur uno,
ut vitio venae tabularum saepius hiscant
quam laxare queant compages taurea vincla.
vitigeni latices aqüai fontibus audent
misceri, cum pix nequeat gravis et leve olivom.
purpureusque colos conchyli iungitur uno
corpore cum lanae, dirimi qui non queat usquam;
non si Neptuni fluctu renovare operam des;
non, mare si totum velit eluere omnibus undis

denique non auro res aurum copulat una,
aerique aes plumbo fit uti iungatur ab albo?
cetera iam quam multa licet reperire! quid ergo?
nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
nec me tam multam hic operam consumere par est,
sed breviter paucis praestat comprendere multa.
quorum ita texturae ceciderunt mutua contra,
ut cava conveniant plenis haec illius illa
huiusque inter se, iunctura haec optima constat.
est etiam, quasi ut anellis hamisque plicata
inter se quaedam possint coplata teneri;
quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
Nunc ratio quae sit morbis, aut unde repente
mortiferam possit cladem conflare coorta
morbida vis hominum generi pecudumque catervis
expediam. primum multarum semina rerum
esse supra docui quae sint vitalia nobis,
et contra quae sint morbo mortique necessest
multa volare: ea cum casu sunt forte coorta
et perturbarunt caelum, fit morbidus aër.
atque ea vis omnis morborum pestilitasque
aut extrinsecus ut nubes nebulaeque superne
per caelum veniunt, aut ipsa saepe coortae
de terra surgunt, ubi putorem umida nactast
intempestivis pluviisque et solibus icta.
nonne vides etiam caeli novitate et aquarum
temptari procul a patria quicumque domoque
adveniunt ideo quia longe discrepitant res?
nam quid Brittannis caelum differre putamus,
et quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis,
quidve quod in Ponto est differre, et Gadibus atque
usque ad nigra virum percocto saecla colore?
quae cum quattuor inter se diversa videmus
quattuor a ventis et caeli partibus esse,
tum color et facies hominum distare videntur
largiter et morbi generatim saecla tenere.
est elephas morbus qui propter flumina Nili
gignitur Aegypto in media, neque praeterea usquam.

Atthide temptantur gressus, oculique in Achaeis
finibus. inde aliis alius locus est inimicus
partibus ac membris: varius concinnat id aër.
proinde ubi se caelum quod nobis forte alienum
commovet atque aër inimicus serpere coepit,
ut nebula ac nubes paulatim repit et omne
qua graditur conturbat et immutare coactat,
fit quoque ut, in nostrum cum venit denique caelum,
corrumpat reddatque sui simile atque alienum.
haec igitur subito clades nova pestilitasque
aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas
aut alios hominum pastus pecudumque cibatus,
aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso,
et, cum spirantes mixtas hinc ducimus auras,
illa quoque in corpus pariter sorbere necessest
consimili ratione venit bubus quoque saepe
pestilitas et iam pigris balantibus aegror.
nec refert utrum nos in loca deveniamus
nobis adversa et caeli mutemus amictum,
an caelum nobis ultro natura *alienum*
deferat aut aliquid quo non consuevimus uti,
quod nos adventu possit temptare recenti.
Haec ratio quondam morborum et morti' fera
finibus in Cecropis funestos reddidit agros
vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
nam penitus veniens Aegypti finibu' morbus,
aëra permensus multum camposque natantis,
incubuit tandem populo Pandionis omni.
inde catervatim morbo mortique dabantur.
principio caput incensum fervore gerebant
et duplicis oculos suffusa luce rubentes.
sudabant etiam fauces intrinsecus atrae
sanguine, et ulceribus vocis via saepta coibat,
atque animi interpres manabat lingua cruore,
debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
inde ubi per fauces pectus complerat et ipsum
morbida vis in cor maestum confluxerat aegris,
omnia tum vero vitai claustra lababant.

spiritus ore foras taetrum volvebat odorem,
rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.
atque animi prorsum *tum* vires totius, omne
languebat corpus, leti iam limine in ipso.
intolerabilibusque malis erat anxius angor
adsidue comes et gemitu commixta querella.
singultusque frequens noctem per saepe diemque
corripere adsidue nervos et membra coactans
dissoluebat eos, defessos ante, fatigans.
nec nimio cuiquam posses ardore tueri
corporis in summo summam fervescere partem,
sed potius tepidum manibus proponere tactum
et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
corpus, ut est per membra sacer dum diditur ignis.
intima pars hominum vero flagrabat ad ossa,
flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus.
nil adeo posses cuiquam leve tenveque membris
vertere in utilitatem, at ventum et frigora semper.
in fluvios partim gelidos ardentia morbo
membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.
multi praecipites lymphis putealibus alte
inciderunt, ipso venientes ore patente:
insedabiliter sitis arida, corpora inurens,
aequabat multum parvis umoribus imbrem.
nec requies erat ulla mali: defessa iacebant
corpora. mussabat tacito medicina timore,
quippe patentia cum totiens ac nuntia mortis
lumina versarent oculorum expertia somno.
multaque praeterea mortis tum signa dabantur,
perturbata animi mens in maerore metuque,
triste supercilium, furiosus voltus et acer,
sollicitae porro plenaeque sonoribus aures,
creber spiritus aut ingens raroque coortus,
sudorisque madens per collum splendidus umor,
tenvia sputa minuta, croci contacta colore
salsaque, per fauces raucas vix edita tussi.
in manibus vero nervi trahere et tremere artus
a pedibusque minutatim succedere frigus

non dubitabat: item ad supremum denique tempus
conpressae nares, nasi primoris acumen
tenve, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis
duraque, inhorrescens rictum, frons tenta tumebat.
nec nimio rigidi post artus morte iacebant.
octavoque fere candenti lumine solis
aut etiam nona reddebant lampade vitam.
quorum siquis vix vitarat funera leti,
ulceribus taetris et nigra proluvie alvi
posterius tamen hunc tabes letumque manebat,
aut etiam multus capitis cum saepe dolore
corruptus sanguis expletis naribus ibat:
huc hominis totae vires corpusque fluebat.
profluvium porro qui taetri sanguinis acre
exierat, tamen in nervos huic morbus et artus
ibat et in partis genitalis corporis ipsas.
et graviter partim metuentes limina leti
vivebant ferro privati parte virili,
et manibus sine nonnulli pedibusque manebant
in vita tamen, et perdebant lumina partim:
usque adeo mortis metus his incesserat acer.
atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.
multaque humi cum inhumata iacerent corpora supra
corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
aut procul apsiliebat, ut acrem exiret odorem,
aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
nec tamen omnino temere illis solibus ulla
comparebat avis, nec tristia saecla ferarum
exibant silvis: languebant pleraque morbo
et moriebantur. cum primis fida canum vis
strata viis animam ponebat in omnibus aegre:
extorquebat enim vitam vis morbida membris.
nec ratio remedi communis certa dabatur:
nam quod ali dederat vitalis aëris auras
volvere in ore licere et caeli templa tueri,
hoc aliis erat exitio letumque parabat.
Illud in his rebus miserandum magnopere unum

aerumnabile erat, quod ubi se quisque videbat
implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
deficiens animo maesto cum corde iacebat,
funera respectans animam amittebat ibidem.
quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
ex aliis alios avidi contagia morbi,
lanigeras tamquam pecudes et bucera saecla.
idque vel in primis cumulabat funere funus.
nam quicumque suos fugitabant visere ad aegros,
vitai nimium cupidos mortisque timentis
poenibat paulo post turpi morte malaque,
desertos, opis expertis, incuria mactans.
qui fuerant autem praesto, contagibus ibant
atque labore, pudor quem tum cogebat obire
blandaque lassorum vox mixta voce querellae.
optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.
incomitata rapi cernebant funera vasta,
inque aliis alium populum sepelire suorum
certantes: lacrimis lassi luctuque redibant:
inde bonam partem in lectum maerore dabantur.
nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
nec mors nec luctus temptaret tempore talei.
Praeterea iam pastor et armentarius omnis
et robustus item curvi moderator aratri
languebat, penitusque casa contrusa iacebant
corpora paupertate et morbo dedita morti.
exanimis pueris super exanimata parentum
corpora nonnumquam posses retroque videre
matribus et patribus natos super edere vitam.
nec minimam partem ex agris maeroris in urbem
confluxit labes, quem contulit agricolarum
copia conveniens ex omni morbida parte.
omnia conplebant loca tectaque; quo magis aestu
confertos ita acervatim mors accumulabat.
multa siti protracta viam per proque voluta
corpora silanos ad aquarum strata iacebant
interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum,
multaque per populi passim loca prompta viasque

languida semanimo cum corpore membra videres
horrida paedore et pannis cooperta perire,
|| corporis inluvie, pelli super ossibus una, ||
ulceribus taetris prope iam sordique sepulta.
omnia denique sancta deum delubra replerat
corporibus mors exanimis onerataque passim
cuncta cadaveribus caelestum templa tenebat,
hospitibus loca quae complerant aedituentes.
nec iam religio divom nec numina magni
pendebantur enim: praesens dolor exsuperabat.
nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
quo pius hic populus semper consuerat humari:
perturbatus enim totus trepidabat, et unus
quisque suum pro re *conpostum* maestus humabat.
multaque *mors* subita et paupertas horrida suasit:
namque suos consanguineos aliena rogorum
insuper extructa ingenti clamore locabant,
subdebantque faces, multo cum sanguine saepe
rixantes potius quam corpora desererentur.

CORNELII NEPOTIS

VITAE

EX RECENSIONE

CAROLI HALMII.



LIPSIAE.

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

A. MDCCCLXXI.

CORNELII NEPOTIS

LIBER DE EXCELLENTIBUS DUCIBUS

EXTERARUM GENTIUM.

PRAEFATIO.

Non dubito fore plerosque, Attice, qui hoc genus 1
scripturae leve et non satis dignum summorum viro-
rum personis iudicent, cum relatum legent, quis mu-
sicam docuerit Epaminondam, aut in eius virtutibus
commemorari, saltasse eum commode scienterque
tibiis cantasse. sed ii erunt fere, qui expertes litte- 2
rarum Graecarum nihil rectum, nisi quod ipsorum
moribus conveniat, putabunt. hi si didicerint non 3
eadem omnibus esse honesta atque turpia, sed omnia
maiorum institutis iudicari, non admirabuntur nos
in Graiorum virtutibus exponendis mores eorum
secutos. neque enim Cimoni fuit turpe, Athenien- 4
sium summo viro, sororem germanam habere in ma-
trimonio, quippe cum cives eius eodem uterentur
instituto. at id quidem nostris moribus nefas habe-
tur. laudi in Creta ducitur adulescentulis quam plu-
rimos habuisse amatores. nulla Lacedaemoni vidua
tam est nobilis, quae non ad cenam eat mercede
conducta. magnis in laudibus tota fere fuit Graecia 5
victorem Olympiae citari, in scaenam vero prodire
ac populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus
fuit turpitudini. quae omnia apud nos partim in-
famia, partim humilia atque ab honestate remota

6 ponuntur. contra ea pleraque nostris moribus sunt
decora, quae apud illos turpia putantur. quem enim
Romanorum pudet uxorem ducere in convivium?
aut cuius non mater familias primum locum tenet
7 aedium atque in celebritate versatur? quod multo
fit aliter in Graecia. nam neque in convivium ad-
hibetur nisi propinquorum, neque sedet nisi in in-
teriore parte aedium, quae gynaeconitis appellatur,
quo nemo accedit nisi propinqua cognatione con-
8 iunctus. sed hic plura persequi cum magnitudo vo-
luminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem,
quae exorsus sum. quare ad propositum veniemus
et in hoc exponemus libro de vita excellentium im-
peratorum.

I. MILTIADES.

1 Miltiades, Cimonis filius, Atheniensis, cum et
antiquitate generis et gloria maiorum et sua modestia
unus omnium maxime floreret eaque esset aetate, ut
non iam solum de eo bene sperare, sed etiam con-
fidere cives possent sui, talem eum futurum, qualem
cognitum iudicarunt, accidit ut Athenienses Cherso-
2 nesum colonos vellent mittere. cuius generis cum
magnus numerus esset et multi eius demigrationis
peterent societatem, ex iis delecti Delphos delibera-
tum missi sunt, qui consulerent Apollinem, quo po-
tissimum duce uterentur. namque tum Thraces eas
regiones tenebant, cum quibus armis erat dimican-
3 dum. his consulentibus nominatim Pythia praecepit,
ut Miltiadem imperatorem sibi sumerent: id si fecis-
4 sent, incepta prospera futura. hoc oraculi responso
Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum pro-
fectus cum accessisset Lemnum et incolas eius insu-
lae sub potestatem redigere vellet Atheniensium, id-
5 que Lemnii sua sponte facerent postulasset, illi irri-

dentes responderunt tum id se facturos, cum ille
domo navibus proficiscens vento aquilone venisset
Lemnum. hic enim ventus ab septentrionibus oriens
adversum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades 6
morandi tempus non habens cursum direxit, quo
tendebat, pervenitque Chersonesum.

Ibi brevi tempore barbarorum copiis disiectis, tota 2
regione, quam petierat, potitus, loca castellis idonea
communiit, multitudinem, quam secum duxerat, in
agris collocavit crebrisque excursionibus locupletavit.
neque minus in ea re prudentia quam felicitate 2
adiutus est. nam cum virtute militum devicisset
hostium exercitus, summa aequitate res constituit
atque ipse ibidem manere decrevit. erat enim inter 3
eos dignitate regia, quamvis carebat nomine, neque
id magis imperio quam iustitia consecutus. neque
eo secius Atheniensibus, a quibus erat profectus,
officia praestabat. quibus rebus fiebat ut non minus
eorum voluntate perpetuo imperium obtineret, qui
miserant, quam illorum, cum quibus erat profectus.
Chersoneso tali modo constituta Lemnum revertitur 4
et ex pacto postulat ut sibi urbem tradant. illi enim
dixerant, cum vento borea domo profectus eo per-
venisset, sese dedituros, se autem domum Chersonesi
habere. Cares, qui tum Lemnum incolebant, etsi 5
praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto,
sed secunda fortuna adversariorum capti resistere
ausi non sunt atque ex insula demigrarunt. pari
felicitate ceteras insulas, quae Cyclades nominantur,
sub Atheniensium redegit potestatem.

Eisdem temporibus Persarum rex Darius ex 3
Asia in Europam exercitu traiecto Scythis bellum
inferre decrevit. pontem fecit in Istro flumine, quo
copias traduceret. eius pontis, dum ipse abesset,
custodes reliquit principes, quos secum ex Ionia et
Aeolide duxerat: quibus singulis ipsorum urbium per-
petua dederat imperia. sic enim facillime putavit se 2
Graeca lingua loquentes, qui Asiam incolerent, sub

sua retenturum potestate, si amicis suis oppida
tuenda tradidisset, quibus se oppresso nulla spes
salutis relinqueretur. in hoc fuit tum numero Mil-
3 tiades [cui illa custodia crederetur]. hic cum crebri
afferrent nuntii, male rem gerere Darium premique
a Scythis, Miltiades hortatus est pontis custodes, ne
a fortuna datam occasionem liberandae Graeciae di-
4 mitterent. nam si cum iis copiis, quas secum trans-
portarat, interisset Darius, non solum Europam
fore tutam, sed etiam eos, qui Asiam incolerent
Graeci genere, liberos a Persarum futuros domi-
natione et periculo: id et facile effici posse: ponte
enim rescisso regem vel hostium ferro vel inopia
5 paucis diebus interiturum. ad hoc consilium cum
plerique accederent, Histiaeus Milesius, ne res confi-
ceretur, obstitit, dicens non idem ipsis, qui summas
imperii tenerent, expedire et multitudini, quod Darii
regno ipsorum niteretur dominatio: quo exstincto
ipsos potestate expulsos civibus suis poenas daturos.
itaque adeo se abhorrere a ceterorum consilio, ut
nihil putet ipsis utilius quam confirmari regnum
6 Persarum. huius cum sententiam plurimi essent se-
cuti, Miltiades non dubitans tam multis consciis
ad regis aures consilia sua perventura, Chersonesum
reliquit ac rursus Athenas demigravit. cuius ratio
etsi non valuit, tamen magno opere est laudanda,
cum amicior omnium libertati quam suae fuerit do-
minationi.

4 Darius autem, cum ex Europa in Asiam redisset,
hortantibus amicis, ut Graeciam redigeret in suam
potestatem, classem quingentarum navium compara-
vit eique Datim praefecit et Artaphernem, hisque
ducenta peditum, decem equitum milia dedit, causam
interserens, se hostem esse Atheniensibus, quod
eorum auxilio Iones Sardis expugnassent suaque prae-
2 sidia interfecissent. illi praefecti regii classe ad
Euboeam appulsa celeriter Eretriam ceperunt omnes-
que eius gentis cives abreptos in Asiam ad regem

miserunt. inde ad Atticam accesserunt ac suas copias
in campum Marathona deduxerunt. is est ab oppido
circiter milia passuum decem. hoc tumultu Athe- 3
nienses tam propinquo tamque magno permoti auxi-
lium nusquam nisi a Lacedaemoniis petiverunt Phi-
dippumque cursorem eius generis, qui hemerodromoe
vocantur, Lacedaemonem miserunt, ut nuntiaret,
quam celeri opus esset auxilio. domi autem creant 4
decem praetores, qui exercitui praeessent, in eis Mil-
tiadem. inter quos magna fuit contentio, utrum moe-
nibus se defenderent, an obviam irent hostibus acie-
que decernerent. unus Miltiades maxime nitebatur, 5
ut primo quoque tempore castra fierent: id si factum
esset, et civibus animum accessurum, cum viderent
de eorum virtute non desperari, et hostes eadem
re fore tardiores, si animadverterent auderi adversus
se tam exiguis copiis dimicari.

Hoc in tempore nulla civitas Atheniensibus 5
auxilio fuit praeter Plataeenses. ea mille misit mili-
tum. itaque horum adventu decem milia armato-
rum completa sunt, quae manus mirabili flagrabat
pugnandi cupiditate. quo factum est ut plus quam 2
collegae Miltiades valeret. eius ergo auctoritate im-
pulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt locoque
idoneo castra fecerunt. dein postero die sub montis 3
radicibus acie regione instructa non apertissima proe-
lium commiserunt (namque arbores multis locis erant
rarae), hoc consilio, ut et montium altitudine tege-
rentur et arborum tractu equitatus hostium impedi-
retur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non 4
aequum locum videbat suis, tamen fretus numero
copiarum suarum confligere cupiebat, eoque magis,
quod, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent,
dimicare utile arbitrabatur. itaque in aciem pedi-
tum centum, equitum decem milia produxit proe-
liumque commisit. in quo tanto plus virtute value- 5
runt Athenienses, ut decemplicem numerum hostium
profligarint, adeoque eos perterruerunt, ut Persae

non castra, sed naves petierint. qua pugna nihil
adhuc exstitit nobilius: nulla enim umquam tam
exigua manus tantas opes prostravit.

6 Cuius victoriae non alienum videtur quale prae-
mium Miltiadi sit tributum docere, quo facilius in-
tellegi possit eandem omnium civitatum esse natu-
2 ram. ut enim populi Romani honores quondam
fuerunt rari et tenues ob eamque causam gloriosi,
nunc autem effusi atque obsoleti, sic olim apud Athe-
3 nienses fuisse reperimus. namque huic Miltiadi, qui
Athenas totamque Graeciam liberarat, talis honos
tributus est, in porticu, quae Poecile vocatur, cum
pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prae-
torum numero prima eius imago poneretur isque hor-
4 taretur milites proeliumque committeret. idem ille
populus, posteaquam maius imperium est nactus et
largitione magistratuum corruptus est, trecentas sta-
tuas Demetrio Phalereo decrevit.

7 Post hoc proelium classem LXX navium Athe-
nienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quae
barbaros adiuverant, bello persequeretur. quo in
imperio plerasque ad officium redire coegit, nonnullas
2 vi expugnavit. ex his Parum insulam opibus ela-
tam cum oratione reconciliare non posset, copias e
navibus eduxit, urbem operibus clausit omnique com-
meatu privavit, dein vineis ac testudinibus consti-
3 tutis propius muros accessit. cum iam in eo esset,
ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui
ex insula conspiciebatur, nescio quo casu nocturno
tempore incensus est. cuius flamma ut ab oppidanis
et oppugnatoribus est visa, utrisque venit in opinio-
4 nem signum a classiariis regiis datum. quo factum
est ut et Parii a deditione deterrerentur et Miltiades,
timens ne classis regia adventaret, incensis operibus,
quae statuerat, cum totidem navibus, atque erat pro-
fectus, Athenas magna cum offensione civium suorum
5 rediret. accusatus ergo est proditionis, quod, cum
Parum expugnare posset, a rege corruptus infectis

rebus discessisset. eo tempore aeger erat vulneri-
bus, quae in oppugnando oppido acceperat. itaque
cum ipse pro se dicere non posset, verba fecit
frater eius Stesagoras. causa cognita capitis absolu- 6
tus pecunia multatus est, eaque lis quinquaginta
talentis aestimata est, quantus in classem sumptus
factus erat. hanc pecuniam quod solvere in prae-
sentia non poterat, in vincula publica coniectus est
ibique diem obiit supremum.

Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia 8
causa fuit damnationis. namque Athenienses propter
Pisistrati tyrannidem, quae paucis annis ante fuerat,
omnium civium suorum potentiam extimescebant.
Miltiades, multum in imperiis magistratibusque ver- 2
satus, non videbatur posse esse privatus, praesertim
cum consuetudine ad imperii cupiditatem trahi vide-
retur. nam Chersonesi omnes illos quos habitarat 3
annos perpetuam obtinuerat dominationem tyran-
nusque fuerat appellatus, sed iustus. non erat enim
vi consecutus, sed suorum voluntate, eamque potesta-
tem bonitate retinebat. omnes autem et dicuntur
et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in
ea civitate, quae libertate usa est. sed in Miltiade 4
erat cum summa humanitas, tum mira communitas,
ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus
pateret; magna auctoritas apud omnes civitates, no-
bile nomen, laus rei militaris maxima. haec popu-
lus respiciens maluit illum innoxium plecti quam se
diutius esse in timore.

II. THEMISTOCLES.

Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. huius 1
vitia ineuntis adulescentiae magnis sunt emendata
virtutibus, adeo ut anteferatur huic nemo, pauci
pares putentur. sed ab initio est ordiendum. pater 2

eius Neocles generosus fuit. is uxorem Halicarnassiam civem duxit, ex qua natus est Themistocles. qui cum minus esset probatus parentibus, quod et liberius vivebat et rem familiarem neglegebat, a patre
3 exheredatus est. quae contumelia non fregit eum, sed erexit. nam cum iudicasset sine summa industria non posse eam exstingui, totum se dedidit rei publicae, diligentius amicis famaeque serviens. multum in iudiciis privatis versabatur, saepe in contionem populi prodibat; nulla res maior sine eo gerebatur, celeriter quae opus erant reperiebat, facile eadem
4 oratione explicabat. neque minus in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod et de instantibus, ut ait Thucydides, verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat. quo factum est ut brevi tempore illustraretur.

2 Primus autem gradus fuit capessendae rei publicae bello Corcyraeo: ad quod gerendum praetor a populo factus non solum praesenti bello, sed etiam
2 reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem. nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione magistratuum quotannis interiret, ille persuasit populo ut ea pecunia classis centum navium
3 aedificaretur. qua celeriter effecta primum Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones consectando mare tutum reddidit. in quo cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis fecit Athenienses.
4 id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello cognitum est Persico. nam cum Xerxes et mari et terra bellum universae inferret Europae cum tantis copiis, quantas neque ante nec postea habuit quis-
5 quam: huius enim classis mille et ducentarum navium longarum fuit, quam duo milia onerariarum sequebantur, terrestris autem exercitus DCC peditum,
6 equitum CCCC milia fuerunt: — cuius de adventu cum fama in Graeciam esset perlata et maxime Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, quidnam fa-

cerent de rebus suis. deliberantibus Pythia respondit,
ut moenibus ligneis se munirent. id responsum quo 7
valeret cum intellegeret nemo, Themistocles per-
suasit consilium esse Apollinis, ut in naves se suaque
conferrent: eum enim a deo significari murum
ligneum. tali consilio probato addunt ad superiores 8
totidem naves triremes suaque omnia, quae moveri
poterant, partim Salamina, partim Troezena depor-
tant: arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu
ad sacra procuranda tradunt, reliquum oppidum re-
linquunt.

Huius consilium plerisque civitatibus displicebat 3
et in terra dimicari magis placebat. itaque missi
sunt delecti cum Leonida, Lacedaemoniorum rege,
qui Thermopylas occuparent longiusque barbaros
progredi non paterentur. ii vim hostium non susti-
nuerunt eoque loco omnes interierunt. at classis 2
communis Graeciae trecentarum navium, in qua du-
centae erant Atheniensium, primum apud Artemisium
inter Euboeam continentemque terram cum classiariis
regiis conflixit. angustias enim Themistocles quaere-
bat, ne multitudine circumiretur. hic etsi pari proelio 3
discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi ma-
nere, quod erat periculum, ne, si pars navium ad-
versariorum Euboeam superasset, ancipiti premeren-
tur periculo. quo factum est ut ab Artemisio disce- 4
derent et exadversum Athenas apud Salamina clas-
sem suam constituerent.

At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus ac- 4
cessit astu idque nullis defendentibus interfectis sacer-
dotibus, quos in arce invenerat, incendio delevit.
cuius flamma perterriti classiarii cum manere non 2
auderent et plurimi hortarentur, ut domos suas disce-
derent moenibusque se defenderent, Themistocles
unus restitit et universos pares esse posse aiebat,
dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi, regi
Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat,
fore affirmabat. quem cum minus quam vellet mo- 3

veret, noctu de servis suis quem habuit fidelissimum
ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adver-
4 sarios eius in fuga esse: qui si discessissent, maiore
cum labore et longinquiore tempore bellum con-
fecturum, cum singulos consectari cogeretur: quos
si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum.
hoc eo valebat, ut ingratiis ad depugnandum omnes
5 cogerentur. hac re audita barbarus, nihil doli sub-
esse credens, postridie alienissimo sibi loco, contra
opportunissimo hostibus adeo angusto mari conflixit,
ut eius multitudo navium explicari non potuerit.
victus ergo est magis etiam consilio Themistocli quam
armis Graeciae.

5 Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habe-
bat reliquias copiarum, ut etiam tum iis opprimere
posset hostes. iterum ab eodem gradu depulsus est.
nam Themistocles verens ne bellare perseveraret,
certiorem eum fecit id agi, ut pons, quem ille in
Hellesponto fecerat, dissolveretur ac reditu in Asiam
2 excluderetur, idque ei persuasit. itaque qua sex
mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta
in Asiam reversus est seque a Themistocle non supe-
3 ratum, sed conservatum iudicavit. sic unius viri
prudentia Graecia liberata est Europaeque succubuit
Asia. haec est altera victoria, quae cum Marathonio
possit comparari tropaeo. nam pari modo apud Sa-
lamina parvo numero navium maxima post hominum
memoriam classis est devicta.

6 Magnus hoc bello Themistocles fuit neque minor
in pace. cum enim Phalerico portu neque magno
neque bono Athenienses uterentur, huius consilio
triplex Piraei portus constitutus est iisque moeni-
bus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequipe-
2 raret, utilitate superaret. idem muros Athenien-
sium restituit praecipuo suo periculo. namque La-
cedaemonii causam idoneam nacti propter barbaro-
rum excursiones, qua negarent oportere extra Pelo-
ponnesum ullam urbem muros habere, ne essent loca

munita, quae hostes possiderent, Athenienses aedificantes prohibere sunt conati. hoc longe alio specta- 3
bat atque videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathonia et Salaminia, tantam gloriam apud omnes gentes erant consecuti, ut intellegerent Lacedaemonii de principatu sibi cum iis certamen fore. quare eos quam infirmissimos esse volebant.
postquam autem audierunt muros strui, legatos Athe- 4
nas miserunt, qui id fieri vetarent. his praesentibus desierunt ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt. hanc legationem suscepit Themistocles 5
et solus primo profectus est: reliqui legati ut tum exirent, cum satis alti tuendo muri exstructi viderentur, praecepit: interim omnes, servi atque liberi, opus facerent neque ulli loco parcerent, sive sacer *sive profanus*, sive privatus esset sive publicus, et undique, quod idoneum ad muniendum putarent, congererent. quo factum est ut Atheniensium muri ex sacellis sepulchrisque constarent.

Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, 7
adire ad magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret, causam interponens se collegas exspectare. cum Lacedaemonii quererentur 2
opus nihilo minus fieri eumque in ea re conari fallere, interim reliqui legati sunt consecuti. a quibus cum audisset non multum superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes quos summum erat imperium, atque apud eos contendit falsa iis esse delata: quare aequum esse illos viros bonos nobilesque mittere, quibus fides haberetur, qui rem explorarent: interea se obsidem retinerent. gestus 3
est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas missi sunt. cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci iisque praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent quam ipse esset remissus. hos postquam Athenas pervenisse ratus 4
est, ad magistratus senatumque Lacedaemoniorum adiit et apud eos liberrime professus est: Athenienses

suo consilio, quod communi iure gentium facere pos-
sent, deos publicos suosque patrios ac penates, quo
facilius ab hoste possent defendere, muris saepsisse
5 neque in eo quod inutile esset Graeciae fecisse. nam
illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse
barbaris, apud quam iam bis classes regias fecisse
6 naufragium. Lacedaemonios autem male et iniuste
facere, qui id potius intuerentur, quod ipsorum do-
minationi quam quod universae Graeciae utile esset.
quare, si suos legatos recipere vellent, quos Athenas
miserant, se remitterent, *cum* aliter illos numquam
in patriam essent recepturi.

8 Tamen non effugit civium suorum invidiam.
namque ob eundem timorem, quo damnatus erat Mil-
tiades, testularum suffragiis e civitate eiectus Argos
2 habitatum concessit. hic cum propter multas vir-
tutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii
legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accu-
sarent, quod societatem cum rege Perse ad Graeciam
opprimendam fecisset. hoc crimine absens prodi-
3 tionis damnatus est. id ut audivit, quod non satis
tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. ibi
cum eius principes animadvertisset timere, ne propter
se bellum iis Lacedaemonii et Athenienses indice-
rent, ad Admetum, Molossum regum, cum quo ei
hospitium erat, confugit. huc cum venisset et in
4 praesentia rex abesset, quo maiore religione se re-
ceptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit et cum
ea se in sacrarium, quod summa colebatur caerimo-
nia, coniecit. inde non prius egressus est, quam rex
eum data dextra in fidem reciperet, quam praestitit.
5 nam cum ab Atheniensibus et Lacedaemoniis expo-
sceretur publice, supplicem non prodidit monuitque
ut consuleret sibi: difficile enim esse in tam propin-
quo loco tuto eum versari. itaque Pydnam eum
6 deduci iussit et quod satis esset praesidii dedit. hic
in navem omnibus ignotus nautis escendit. quae
cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum

Atheniensium erat exercitus, sensit Themistocles, si
eo pervenisset, sibi esse pereundum. hac necessitate
coactus domino navis, quis sit, aperit, multa polli-
cens, si se conservasset. at ille clarissimi viri captus 7
misericordia diem noctemque procul ab insula in
salo navem tenuit in ancoris neque quemquam ex
ea exire passus est. inde Ephesum pervenit ibique
Themistoclen exponit: cui ille pro meritis postea
gratiam rettulit.

Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclen Xerxe 9
regnante in Asiam transisse. sed ego potissimum
Thucydidi credo, quod et aetate proximus de iis, qui
illorum temporum historiam reliquerunt, et eiusdem
civitatis fuit. is autem ait ad Artaxerxen eum ve-
nisse atque his verbis epistolam misisse: 'Themisto- 2
cles veni ad te, qui plurima mala hominum Graio-
rum in domum tuam intuli, quam diu mihi necesse
fuit adversum patrem tuum bellare patriamque meam
defendere. idem multo plura bona feci, postquam 3
in tuto ipse et ille in periculo esse coepit. nam cum
in Asiam reverti vellet, proelio apud Salamina facto
litteris eum certiorem feci, id agi ut pons, quem in
Hellesponto fecerat, dissolveretur atque ab hostibus
circumiretur: quo nuntio ille periculo est liberatus.
nunc autem confugi ad te exagitatus a cuncta Grae- 4
cia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus,
non minus me bonum amicum habebis quam fortem
inimicum ille expertus est. te autem rogo, ut de
iis rebus, quas tecum colloqui volo, annuum mihi
tempus des eoque transacto ad te venire patiaris.'

Huius rex animi magnitudinem admirans cu- 10
piensque talem virum sibi conciliari veniam dedit.
ille omne illud tempus litteris sermonique Persarum
[se] dedidit: quibus adeo eruditus est, ut multo com-
modius dicatur apud regem verba fecisse quam ii
poterant, qui in Perside erant nati. hic cum multa 2
regi esset pollicitus gratissimumque illud, si suis uti
consiliis vellet, illum Graeciam bello oppressurum,

magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam
3 rediit domiciliumque Magnesiae sibi constituit. nam-
que hanc urbem ei rex donarat, his quidem verbis,
quae ei panem praeberet (ex qua regione quinqua-
gena talenta quotannis redibant), Lampsacum autem,
unde vinum sumeret, Myunta, ex qua obsonium
haberet.

Huius ad nostram memoriam monumenta man-
serunt duo: sepulchrum prope oppidum, in quo est
4 sepultus, statua in foro Magnesiae. de cuius morte
multis modis apud plerosque scriptum est, sed nos
eundem potissimum Thucydidem auctorem probamus,
qui illum ait Magnesiae morbo mortuum neque ne-
gat fuisse famam, venenum sua sponte sumpsisse,
cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus
5 esset, praestare posse desperaret. idem ossa eius
clam in Attica ab amicis sepulta, quoniam legibus
non concederetur, quod proditionis esset damnatus,
memoriae prodidit.

III. ARISTIDES.

1 Aristides, Lysimachi filius, Atheniensis, aequalis
fere fuit Themistocli. itaque cum eo de principatu
2 contendit: namque obtrectarunt inter se. in his
autem cognitum est, quanto antestaret eloquentia
innocentiae. quamquam enim adeo excellebat Ari-
stides abstinentia, ut unus post hominum memoriam,
quem quidem nos audierimus, cognomine Iustus sit
appellatus, tamen a Themistocle collabefactus testula
3 illa exilio decem annorum multatus est. qui qui-
dem cum intellegeret reprimi concitatam multitudi-
nem non posse, cedensque animadvertisset quendam
scribentem, ut patria pelleretur, quaesisse ab eo dici-
tur, quare id faceret aut quid Aristides commisisset,
4 cur tanta poena dignus duceretur. cui ille respondit

se ignorare Aristiden, sed sibi non placere, quod tam cupide laborasset, ut praeter ceteros Iustus appellaretur. hic decem annorum legitimam poenam non pertulit. nam postquam Xerxes in Graeciam descendit, sexto fere anno quam erat expulsus, populi scito in patriam restitutus est.

Interfuit autem pugnae navali apud Salamina, 2
quae facta est prius quam poena liberaretur. idem praetor fuit Atheniensium apud Plataeas in proelio, quo Mardonius fusus barbarorumque exercitus interfectus est. neque aliud est ullum huius in re mili- 2
tari illustre factum quam huius imperii memoria, iustitiae vero et aequitatis et innocentiae multa, in primis, quod eius aequitate factum est, cum in communi classe esset Graeciae simul cum Pausania, quo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacedaemoniis transferretur ad Athenienses: namque ante id tempus et mari et terra duces erant 3
Lacedaemonii. tum autem et intemperantia Pausaniae et iustitia factum est Aristidis, ut omnes fere civitates Graeciae ad Atheniensium societatem se applicarent et adversus barbaros hos duces deligerent sibi.

Quos quo facilius repellerent, si forte bellum 3
renovare conarentur, ad classes aedificandas exercitusque comparandos quantum pecuniae quaeque civitas daret, Aristides delectus est qui constitueret, eiusque arbitrio quadringena et sexagena talenta quotannis Delum sunt collata: id enim commune aerarium esse voluerunt. quae omnis pecunia postero tempore Athenas translata est. hic qua fuerit absti- 2
nentia, nullum est certius indicium, quam quod, cum tantis rebus praefuisset, in tanta paupertate decessit, ut qui efferretur vix reliquerit. quo factum est ut filiae 3
eius publice alerentur et de communi aerario dotibus datis collocarentur. decessit autem fere post annum quartum, quam Themistocles Athenis erat expulsus.

IV. PAUSANIAS.

1 Pausanias Lacedaemonius magnus homo, sed
varius in omni genere vitae fuit: nam ut virtutibus
eluxit, sic vitiis est obrutus. huius illustrissimum
2 est proelium apud Plataeas. namque illo duce Mar-
donius, satrapes regius, natione Medus, regis gener,
in primis omnium Persarum et manu fortis et con-
silii plenus, cum CC milibus peditum, quos viritim
legerat, et XX equitum haud ita magna manu Grae-
3 ciae fugatus est, eoque ipse dux cecidit proelio. qua
victoria elatus plurima miscere coepit et maiora
concupiscere. sed primum in eo est reprehensus,
quod ex praeda tripodem aureum Delphis posuisset
epigrammate inscripto, in quo haec erat sententia:
suo ductu barbaros apud Plataeas esse deletos eius-
4 que victoriae ergo Apollini donum dedisse. hos ver-
sus Lacedaemonii exsculpserunt neque aliud scripse-
runt quam nomina earum civitatum, quarum auxilio
Persae erant victi.

2 Post id proelium eundem Pausaniam cum classe
communi Cyprum atque Hellespontum miserunt, ut
ex his regionibus barbarorum praesidia depelleret.
2 pari felicitate in ea re usus elatius se gerere coepit
maioresque appetere res. nam cum Byzantio ex-
pugnato cepisset complures Persarum nobiles atque
in iis nonnullos regis propinquos, hos clam Xerxi
remisit, simulans ex vinclis publicis effugisse, et cum
iis Gongylum Eretriensem, qui litteras regi redderet,
in quibus haec fuisse scripta Thucydides memoriae
3 prodidit: 'Pausanias, dux Spartae, quos Byzantii cepe-
rat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri
misit seque tecum affinitate coniungi cupit: quare,
4 si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum. id si
feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam
potestatem se adiuvante te redacturum pollicetur.
his de rebus si quid geri volueris, certum hominem

ad eum mittas face, cum quo colloquatur.' rex tot 5
hominum salute tam sibi necessariorum magno opere
gavisus confestim cum epistola Artabazum ad Pau-
saniam mittit, in qua eum collaudat, petit, ne cui
rei parcat ad ea efficienda, quae polliceretur: si
perfecerit, nullius rei a se repulsam laturum. huius 6
Pausanias voluntate cognita alacrior ad rem geren-
dam factus in suspicionem cecidit Lacedaemoniorum.
quo facto domum revocatus, accusatus capitis absol-
vitur, multatur tamen pecunia: quam ob causam ad
classem remissus non est.

At ille post non multo sua sponte ad exercitum 3
rediit et ibi non callida, sed dementi ratione cogitata
patefecit: non enim mores patrios solum, sed etiam
cultum vestitumque mutavit. apparatu regio uteba- 2
tur, veste Medica; satellites Medi et Ægyptii seque-
bantur: epulabatur more Persarum luxuriosius, quam
qui aderant perpeti possent: aditum petentibus [con- 3
veniundi] non dabat, superbe respondebat, crudeliter
imperabat. Spartam redire nolebat: Colonas, qui
locus in agro Troade est, se contulerat: ibi consilia
cum patriae tum sibi inimica capiebat. id postquam 4
Lacedaemonii rescierunt, legatos cum clava ad eum
miserunt, in qua more illorum erat scriptum: 'nisi
domum reverteretur, se capitis eum damnaturos.
hoc nuntio commotus, sperans se etiam tum pecu- 5
nia et potentia instans periculum posse depellere,
domum rediit. huc ut venit, ab ephoris in vincla
publica est coniectus: licet enim legibus eorum
cuivis ephoro hoc facere regi. hinc tamen se ex-
pedivit, neque eo magis carebat suspicione: nam
opinio manebat eum cum rege habere societatem.
est genus quoddam hominum, quod Hilotae vocatur, 6
quorum magna multitudo agros Lacedaemoniorum
colit servorumque munere fungitur. hos quoque sol-
licitare spe libertatis existimabatur. sed quod harum 7
rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset,
non putabant de tali tamque claro viro suspicionibus

oportere iudicari et exspectandum, dum se ipsa res aperiret.

4 Interim Argilius quidam adulescentulus, quem puerum Pausanias amore venerio dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum redisset, qui super tali causa eodem missi erant, vincla epistolae laxavit signoque detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereun-
2 dum. erant in eadem epistola quae ad ea pertinebant, quae inter regem Pausaniamque convenerant.
3 has ille litteras ephoris tradidit. non est praetereunda gravitas Lacedaemoniorum hoc loco. nam ne huius quidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent, neque prius vim adhibendam puta-
4 verunt, quam se ipse indicasset. itaque huic indici, quid fieri vellent, praeceperunt. fanum Neptuni est Taenari, quod violari nefas putant Graeci. eo ille [index] confugit in araque consedit. hanc iuxta locum fecerunt sub terra, ex quo posset audiri, si quis quid loqueretur cum Argilio. huc ex ephoris quidam
5 descenderunt. Pausanias, ut audivit Argilium confugisse in aram, perturbatus venit eo. quem cum supplicem dei videret in ara sedentem, quaerit, causae quid sit tam repentini consilii. huic ille, quid ex
6 litteris comperisset, aperit. modo magis Pausanias perturbatus orare coepit, ne enuntiaret nec se meritum de illo optime proderet: quodsi eam veniam sibi dedisset tantisque implicatum rebus sublevasset, magno ei praemio futurum.

5 His rebus ephori cognitis satius putarunt in urbe eum comprehendi. quo cum essent profecti et Pausanias placato Argilio, ut putabat, Lacedaemonem reverteretur, in itinere, cum iam in eo esset ut comprehenderetur, ex vultu cuiusdam ephori, qui eum admoneri cupiebat, insidias sibi fieri intellexit.
2 itaque paucis ante gradibus, quam qui eum sequebantur, in aedem Minervae, quae Chalcioicos vocatur,

confugit. hinc ne exire posset, statim ephori valvas
eius aedis obstruxerunt tectumque sunt demoliti, quo
celerius sub divo interiret. dicitur eo tempore ma- 3
trem Pausaniae vixisse eamque iam magno natu,
postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium
claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse.
sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte ma- 4
culavit. hic cum semianimis de templo elatus esset,
confestim animam efflavit. cuius mortui corpus cum 5
eodem nonnulli dicerent inferri oportere, quo ii,
qui ad supplicium essent dati, displicuit pluribus,
et procul ab eo loco infoderunt, quo erat mortuus.
inde posterius dei Delphici responso erutus atque
eodem loco sepultus est, ubi vitam posuerat.

V. CIMON.

Cimon, Miltiadis filius, Atheniensis, duro ad- 1
modum initio usus est adulescentiae. nam cum
pater eius litem aestimatam populo solvere non po-
tuisset ob eamque causam in vinclis publicis deces-
sisset, Cimon eadem custodia tenebatur neque legibus
Atheniensium emitti poterat, nisi pecuniam, qua pater
multatus erat, solvisset. habebat autem in matrimo- 2
nio sororem germanam suam, nomine Elpinicen, non
magis amore quam more ductus: namque Athenien-
sibus licet eodem patre natas uxores ducere. huius 3
coniugii cupidus Callias quidam, non tam generosus
quam pecuniosus, qui magnas pecunias ex metallis
fecerat, egit cum Cimone ut eam sibi uxorem daret:
id si impetrasset, se pro illo pecuniam soluturum.
is cum talem condicionem aspernaretur, Elpinice 4
negavit se passuram Miltiadis progeniem in vin-
clis publicis interire, quoniam prohibere posset,
seque Calliae nupturam, si ea quae polliceretur prae-
stitisset.

2 Tali modo custodia liberatus Cimon celeriter ad
principatum pervenit. habebat enim satis eloquen-
tiae, summam liberalitatem, magnam prudentiam cum
iuris civilis tum rei militaris, quod cum patre a
puero in exercitibus fuerat versatus. itaque hic et
populum urbanum in sua tenuit potestate et apud
2 exercitum plurimum valuit auctoritate. primum im-
perator apud flumen Strymona magnas copias Thra-
cum fugavit, oppidum Amphipolim constituit eoque
decem milia Atheniensium in coloniam misit. idem
iterum apud Mycalen Cypriorum et Phoenicum du-
3 centarum navium classem devictam cepit eodemque
die pari fortuna in terra usus est. namque hostium
navibus captis statim ex classe copias suas eduxit
barbarorumque maximam vim uno concursu prostra-
4 vit. qua victoria magna praeda potitus cum domum
reverteretur, quod iam nonnullae insulae propter
acerbitatem imperii defecerant, bene animatas con-
5 firmavit, alienatas ad officium redire coegit. Scy-
rum, quam eo tempore Dolopes incolebant, quod
contumacius se gesserant, vacuefecit, sessores veteres
urbe insulaque eiecit, agros civibus divisit. Thasios
opulentia fretos suo adventu fregit. his ex manu-
biis arx Athenarum, qua ad meridiem vergit, est
ornata.

3 Quibus rebus cum unus in civitate maxime flo-
reret, incidit in eandem invidiam quam pater suus
ceterique Atheniensium principes: nam testarum
suffragiis [quod illi ὀστρακισμόν vocant] decem anno-
2 rum exilio multatus est. cuius facti celerius Athe-
nienses quam ipsum paenituit. nam cum ille animo
forti invidiae ingratorum civium cessisset bellumque
Lacedaemonii Atheniensibus indixissent, confestim
3 notae eius virtutis desiderium consecutum est. itaque
post annum quintum, quam expulsus erat, in patriam
revocatus est. ille, quod hospitio Lacedaemoniorum
utebatur, satius existimans *concedere quam armis*
contendere, Lacedaemonem sua sponte est profectus

pacemque inter duas potentissimas civitates con-
ciliavit. post, neque ita multo, Cyprum cum ducentis 4
navibus imperator missus, cum eius maiorem partem 1
insulae devicisset, in morbum implicitus in oppido
Citio est mortuus.

Hunc Athenienses non solum in bello, sed etiam 4
in pace diu desideraverunt. fuit enim tanta liberali-
tate, cum compluribus locis praedia hortosque habe-
ret, ut numquam in eis custodem imposuerit fructus
servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus
eius rebus, quibus quisque vellet, frueretur. semper 2
eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis
opis eius indigeret, haberet, quod statim daret, ne
differendo videretur negare. saepe, cum aliquem
offensum fortuito videret minus bene vestitum, suum
amiculum dedit. cotidie sic cena ei coquebatur, ut, 3
quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret:
quod facere nullo die praetermittebat. nulli fides
eius, nulli opera, nulli res familiaris defuit: multos
locupletavit, complures pauperes mortuos, qui unde
efferrentur non reliquissent, suo sumptu extulit. sic 4
se gerendo minime est mirandum, si et vita eius
fuit secura et mors acerba.

VI. LYSANDER.

Lysander Lacedaemonius magnam reliquit sui 1
famam, magis felicitate quam virtute partam: Athe-
nienses enim cum Peloponnesiis sexto et vicesimo
anno bellum gerentes confecisse apparet. id qua 2
ratione consecutus sit, haut latet. non enim virtute
sui exercitus, sed immodestia factum est adversario-
rum, qui, quod dicto audientes imperatoribus suis
non erant, dispalati in agris relictis navibus in
hostium venerunt potestatem. quo facto Athenienses
se Lacedaemoniis dediderunt. hac victoria Lysander 3

elatus, cum antea semper factiosus audaxque fuisset,
sic sibi indulsit, ut eius opera in maximum odium
4 Graeciae Lacedaemonii pervenerint. nam cum hanc
causam Lacedaemonii dictitassent sibi esse belli, ut
Atheniensium impotentem dominationem refringe-
rent, postquam apud Aegos flumen Lysander classis
hostium est potitus, nihil aliud molitus est, quam
ut omnes civitates in sua teneret potestate, cum id
5 se Lacedaemoniorum causa facere simularet. nam-
que undique, qui Atheniensium rebus studuissent,
eiectis, decem delegerat in unaquaque civitate, qui-
bus summum imperium potestatemque omnium rerum
committeret. horum in numerum nemo admitteba-
tur, nisi qui aut eius hospitio contineretur aut se
illius fore proprium fide confirmarat.

2 Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus
constituta ipsius nutu omnia gerebantur. cuius de
crudelitate ac perfidia satis est unam rem exempli
gratia proferre, ne de eodem plura enumerando de-
2 fatigemus lectores. victor ex Asia cum reverteretur
Thasumque divertisset, quod ea civitas praecipua fide
fuerat erga Athenienses, proinde ac si non iidem fir-
missimi solerent esse amici, qui constantes fuissent
3 inimici, pervertere eam concupivit. vidit autem,
nisi in eo occultasset voluntatem, futurum ut Thasii
dilaberentur consulerentque rebus suis....

3 Itaque hi decemviralem [illam] potestatem ab illo
constitutam sustulerunt. quo dolore incensus iniit
consilia reges Lacedaemoniorum tollere. sed sentie-
bat id se sine ope deorum facere non posse, quod
Lacedaemonii omnia ad oracula referre consuerant.
2 primum Delphicum corrumpere est conatus. cum
id non potuisset, Dodonam adortus est. hinc quo-
que repulsus dixit se vota suscepisse, quae Iovi
Hammoni solveret, existimans se Afros facilius cor-
3 rupturum. hac spe cum profectus esset in Africam,
multum eum antistites Iovis fefellerunt. nam non
solum corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos

Lacedaemonem miserunt, qui Lysandrum accusarent,
quod sacerdotes fani corrumpere conatus esset. accu- 4
satus hoc crimine iudicumque absolutus sententiis,
Orchomeniis missus subsidio occisus est a Thebanis
apud Haliartum. quam vere de eo foret iudicatum, 5
oratio indicio fuit, quae post mortem in domo eius
reperta est, in qua suadet Lacedaemoniis, ut regia
potestate dissoluta ex omnibus dux deligatur ad bel-
lum gerendum, sed sic scripta, ut deum videretur
congruere sententiae, quam ille se habiturum pe-
cunia fidens non dubitarat. hanc ei scripsisse Cleon
Halicarnassius dicitur.

Atque hoc loco non est praetereundum factum 4
Pharnabazi, satrapis regii. nam cum Lysander prae-
fectus classis in bello multa crudeliter avareque fe-
cisset deque iis rebus suspicaretur ad cives suos esse
perlatum, petiit a Pharnabazo ut ad ephoros sibi
testimonium daret, quanta sanctitate bellum gessisset
sociosque tractasset, deque ea re accurate scriberet:
magnam enim eius auctoritatem in ea re futuram.
huic ille liberaliter pollicetur: librum grandem verbis 2
multis conscripsit, in quibus summis eum effert lau-
dibus. quem cum legisset probassetque, dum signa-
tur, alterum pari magnitudine, tanta similitudine,
ut discerni non posset, signatum subiecit, in quo
accuratissime eius avaritiam perfidiamque accusarat.
Lysander, domum cum redisset, postquam de suis 3
rebus gestis apud maximum magistratum quae vo-
luerat dixerat, testimonii loco librum a Pharna-
bazo datum tradidit. hunc summoto Lysandro cum
ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. ita ille
imprudens ipse suus fuit accusator.

VII. ALCIBIADES.

1 Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. in hoc
quid natura efficere possit, videtur experta. constat
enim inter omnes, qui de eo memoriae prodiderunt,
nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in vir-
2 tutibus. natus in amplissima civitate summo ge-
nere, omnium aetatis suae multo formosissimus, ad
omnes res aptus consiliique plenus (namque impe-
rator fuit summus et mari et terra), disertus, ut
in primis dicendo valeret, quod tanta erat com-
mendatio oris atque orationis, ut nemo ei posset
3 resistere, dives, cum tempus posceret, laboriosus,
patiens, liberalis, splendidus non minus in vita quam
victu, affabilis, blandus, temporibus callidissime ser-
4 viens: idem, simul ac se remiserat neque causa sub-
erat quare animi laborem perferret, luxuriosus, dis-
solutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut
omnes admirarentur, in uno homine tantam esse dis-
similitudinem tamque diversam naturam.

2 Educatus est in domo Pericli (privignus enim
eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. socerum
habuit Hipponicum, omnium Graeca lingua loquen-
tium ditissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque
plura bona eminisci neque maiora posset consequi,
2 quam vel natura vel fortuna tribuerat. ineunte
adulescentia amatus est a multis more Graecorum,
in eis a Socrate, de quo mentionem facit Plato in
symposio. namque eum induxit commemorantem se
pernoctasse cum Socrate neque aliter ab eo sur-
3 rexisse, ac filius a parente debuerit. posteaquam
robustior est factus, non minus multos amavit, in
quorum amore, quoad licitum est odiosa, multa de-
licate iocoseque fecit: quae referremus, nisi maiora
potiora haberemus.

3 Bello Peloponnesio huius consilio atque aucto-
ritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt:

ad quod gerendum ipse dux delectus est, duo prae-
terea collegae dati, Nicias et Lamachus. id cum 2
appararetur, prius quam classis exiret, accidit ut
una nocte omnes hermae, qui in oppido erant Athe-
nis, deiicerentur praeter unum, qui ante ianuam erat
Andocidi. itaque ille postea Mercurius Andocidi
vocitatus est. hoc cum appareret non sine magna 3
multorum consensione esse factum, quae non ad
privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus
multitudini timor est iniectus, ne qua repentina vis
in civitate existeret, quae libertatem opprimeret po-
puli. hoc maxime convenire in Alcibiadem videba- 4
tur, quod et potentior et maior quam privatus existi-
mabatur: multos enim liberalitate devinxerat, plures
etiam opera forensi suos reddiderat. qua re fiebat 5
ut omnium oculos, quotienscumque in publicum pro-
disset, ad se converteret neque ei par quisquam in
civitate poneretur. itaque non solum spem in eo
habebant maximam, sed etiam timorem, quod et
obesse plurimum et prodesse poterat. aspergebatur 6
etiam infamia, quod in domo sua facere mysteria
dicebatur: quod nefas erat more Atheniensium, id-
que non ad religionem, sed ad coniurationem per-
tinere existimabatur.

Hoc crimine in contione ab inimicis compella- 4
batur. sed instabat tempus ad bellum proficiscendi.
id ille intuens neque ignorans civium suorum con-
suetudinem postulabat, si quid de se agi vellent,
potius de praesente quaestio haberetur, quam absens
invidiae crimine accusaretur. inimici vero eius quie- 2
scendum in praesenti, quia noceri ei non posse in-
tellegebant, et illud tempus exspectandum decreve-
runt, quo exisset, ut absentem aggrederentur, itaque
fecerunt. nam postquam in Siciliam eum perve- 3
nisse crediderunt, absentem, quod sacra violasset,
reum fecerunt. qua de re cum ei nuntius a ma-
gistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad cau-
sam dicendam rediret, essetque in magna spe pro-

vinciae bene administrandae, non parere noluit et in
triremem, quae ad eum erat deportandum missa,
4 ascendit. hac Thurios in Italiam pervectus, multa
secum reputans de immoderata civium suorum licentia
crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus im-
pendentem evitare tempestatem, clam se ab custo-
dibus subduxit et inde primum Elidem, dein Thebas
5 venit. postquam autem se capitis damnatum bonis
publicatis audivit, et, id quod usu venerat, Eumolpi-
das sacerdotes a populo coactos ut se devoverent,
eiusque devotionis quo testatior esset memoria, exem-
plum in pila lapidea incisum esse positum in publico,
6 Lacedaemonem demigravit. ibi, ut ipse praedicare
consuerat, non adversus patriam, sed inimicos suos
bellum gessit, quod eidem hostes essent civitati:
nam cum intellegerent se plurimum prodesse posse
rei publicae, ex ea eiecisse plusque irae suae quam
7 utilitati communi paruisse. itaque huius consilio
Lacedaemonii cum Perse rege amicitiam fecerunt,
dein Deceleam in Attica munierunt praesidioque ibi
perpetuo posito in obsidione Athenas tenuerunt.
eiusdem opera Ioniam a societate averterunt Athe-
niensium. quo facto multo superiores bello esse
coeperunt.

5 Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt
facti quam timore ab eo alienati. nam cum acer-
rimi viri praestantem prudentiam in omnibus rebus
cognoscerent, pertimuerunt ne caritate patriae du-
ctus aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in
gratiam rediret. itaque tempus eius interficiundi
2 quaerere instituerunt. id Alcibiades diutius celari
non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non
posset, praesertim cum animum attendisset ad ca-
vendum. itaque ad Tissaphernem, praefectum regis
3 Darii, se contulit. cuius cum in intimam amicitiam
pervenisset et Atheniensium male gestis in Sicilia
rebus opes senescere, contra Lacedaemoniorum cre-
scere videret, initio cum Pisandro praetore, qui apud

Samum exercitum habebat, per internuntios collo-
quitur et de reditu suo facit mentionem. erat enim
eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiae non
amicus et optimatium fautor. ab hoc destitutus pri- 4
mum per Thrasybulum, Lyci filium, ab exercitu
recipitur praetorque fit apud Samum, post suffra-
gante Theramene populi scito restituitur parique ab-
sens imperio praeficitur simul cum Thrasybulo et
Theramene. horum in imperio tanta commutatio 5
rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante
victores viguerant, perterriti pacem peterent. victi
enim erant quinque proeliis terrestribus, tribus na-
valibus, in quibus ducentas naves triremes amise-
rant, quae captae in hostium venerant potestatem.
Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hel- 6
lespontum, multas praeterea urbes Graecas, quae in
ora sitae sunt Asiae, quarum expugnarant com-
plures, in his Byzantium, neque minus multas con-
silio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos cle-
mentia fuerant usi. ita praeda onusti, locupletato 7
exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt.

His cum obviam universa civitas in Piraeum 6
descendisset, tanta fuit omnium exspectatio visendi
Alcibiadis, ut ad eius triremem vulgus conflueret,
proinde ac si solus advenisset. sic enim populo erat 2
persuasum, et adversas superiores et praesentes se-
cundas res accidisse eius opera. itaque et Siciliam
amissam et Lacedaemoniorum victorias culpae suae
tribuebant, quod talem virum e civitate expulissent.
neque id sine causa arbitrari videbantur. nam post-
quam exercitui praeesse coeperat, neque terra neque
mari hostes pares esse potuerant. hic ut e navi 3
egressus est, quamquam Theramenes et Thrasybulus
eisdem rebus praefuerant simulque venerant in Pi-
raeum, tamen unum omnes illum prosequebantur,
et, id quod numquam antea usu venerat nisi Olym-
piae victoribus, coronis laureis taeniisque vulgo do-
nabatur. ille lacrumans talem benivolentiam civium

suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis
4 acerbitatem. postquam in astu venit, contione ad-
vocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit,
quin eius casui illacrumarit inimicumque iis se osten-
derit, quorum opera patria pulsus fuerat, proinde
ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat,
5 eum sacrilegii damnasset. restituta ergo huic sunt
publice bona, eidemque illi Eumolpidae sacerdotes
rursus resacrare sunt coacti, qui eum devoverant,
pilaeque illae, in quibus devotio fuerat scripta, in
mare praecipitatae.

7 Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diuturna.
nam cum ei omnes essent honores decreti totaque res
publica domi bellique tradita, ut unius arbitrio gere-
retur, et ipse postulasset ut duo sibi collegae da-
rentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id nega-
tum esset, classe in Asiam profectus, quod apud
Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invi-
2 diam recidit: nihil enim eum non efficere posse du-
cebant. ex quo fiebat ut omnia minus prospere gesta
culpae tribuerent, cum aut eum neglegenter aut ma-
litiose fecisse loquerentur, sicut tum accidit: nam
corruptum a rege capere Cymen noluisse arguebant.
3 itaque huic maxime putamus malo fuisse nimiam
opinionem ingenii atque virtutis: timebatur enim
non minus quam diligebatur, ne secunda fortuna
magnisque opibus elatus tyrannidem concupisceret.
quibus rebus factum est ut absenti magistratum ab-
4 rogarent et alium in eius locum substituerent. id
ille ut audivit, domum reverti noluit et se Pactyen
contulit ibique tria castella communiit, Ornos, Bi-
zanthen, Neontichos, manuque collecta primus Grae-
cae civitatis in Thraciam introiit, gloriosius existi-
mans barbarorum praeda locupletari quam Graiorum.
5 qua ex re creverat cum fama tum opibus, magnam-
que amicitiam sibi cum quibusdam regibus Thraciae
pepererat.

8 Neque tamen a caritate patriae potuit recedere.

nam cum apud Aegos flumen Philocles, praetor
Atheniensium, classem constituisset suam neque longe
abesset Lysander, praetor Lacedaemoniorum, qui in
eo erat occupatus ut bellum quam diutissime duce-
ret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur, contra
Atheniensibus exhaustis praeter arma et naves nihil
erat super, Alcibiades ad exercitum venit Athenien- 2
sium ibique praesente vulgo agere coepit: si vellent,
se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere
spopondit: Lacedaemonios eo nolle classe confligere,
quod pedestribus copiis plus quam navibus valerent:
sibi autem esse facile Seuthem, regem Thracum, 3
adducere ut eum terra depelleret: quo facto neces-
sario aut classe conflicturum aut bellum compositu-
rum. id etsi vere dictum Philocles animadvertebat, 4
tamen postulata facere noluit, quod sentiebat se Al-
cibiade recepto nullius momenti apud exercitum fu-
turum et, si quid secundi evenisset, nullam in ea
re suam partem fore, contra ea, si quid adversi acci-
disset, se unum eius delicti futurum reum. ab hoc 5
discedens Alcibiades 'quoniam' inquit 'victoriae pa-
triae repugnas, illud moneo, iuxta hostem castra
habeas nautica: periculum est enim, ne immodestia
militum vestrorum occasio detur Lysandro vestri op-
primendi exercitus'. neque ea res illum fefellit. nam 6
Lysander, cum per speculatores comperisset vulgum
Atheniensium in terram praedatum exisse navesque
paene inanes relictas, tempus rei gerendae non di-
misit eoque impetu bellum totum delevit.

At Alcibiades, victis Atheniensibus non satis 9
tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Thraciam
se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime
suam fortunam occuli posse. falso. nam Thraces, 2
postquam eum cum magna pecunia venisse sense-
runt, insidias fecerunt: qui ea, quae apportarat, ab-
stulerunt, ipsum capere non potuerunt. ille cernens 3
nullum locum sibi tutum in Graecia propter poten-
tiam Lacedaemoniorum ad Pharnabazum in Asiam

transiit: quem quidem adeo sua cepit humanitate,
ut eum nemo in amicitia antecederet. namque ei
Grynium dederat, in Phrygia castrum, ex quo quin-
4 quagena talenta vectigalis capiebat. qua fortuna
Alcibiades non erat contentus neque Athenas victas
Lacedaemoniis servire poterat pati. itaque ad pa-
5 triam liberandam omni ferebatur cogitatione. sed
videbat id sine rege Perse non posse fieri, ideoque
eum amicum sibi cupiebat adiungi neque dubitabat
facile se consecuturum, si modo eius conveniundi
habuisset potestatem. nam Cyrum fratrem ei bellum
clam parare Lacedaemoniis adiuvantibus sciebat: id
si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat.

10 Hoc cum moliretur peteretque a Pharnabazo, ut
ad regem mitteretur, eodem tempore Critias ceteri-
que tyranni Atheniensium certos homines ad Lysan-
drum in Asiam miserant, qui eum certiorem facerent,
nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore
ratum, quas ipse Athenis constituisset: quare, si
suas res gestas manere vellet, illum persequeretur.
2 his Laco rebus commotus statuit accuratius sibi
agendum cum Pharnabazo. huic ergo renuntiat quae
regi cum Lacedaemoniis essent, nisi Alcibiadem vivum
3 aut mortuum sibi tradidisset. non tulit hunc satra-
pes et violare clementiam quam regis opes minui
maluit. itaque misit Susamithren et Bagaeum ad
Alcibiadem interficiendum, cum ille esset in Phrygia
4 iterque ad regem compararet. missi clam vicinitati,
in qua tum Alcibiades erat, dant negotium ut eum
interficiant. illi cum ferro aggredi non auderent,
noctu ligna contulerunt circa casam, in qua quiesce-
bat, eamque succenderunt, ut incendio conficerent,
5 quem manu superari posse diffidebant. ille autem
ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius ei erat
subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. nam-
que erat cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui num-
quam discedere voluerat. hunc sequi se iubet et id
quod in praesentia vestimentorum fuit arripit. his

in ignem coniectis flammae vim transiit. quem ut 6
barbari incendium effugisse viderunt, telis eminus
missis interfecerunt caputque eius ad Pharnabazum
rettulerunt. at mulier, quae cum eo vivere con-
suerat, muliebri sua veste contectum aedificii incen-
dio mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum
erat comparatum. sic Alcibiades annos circiter quadra-
ginta natus diem obiit supremum.

Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi histo- 11
rici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eius-
dem aetatis fuit, Theopompus, post aliquanto natus,
et Timaeus: qui quidem duo maledicentissimi nescio
quo modo in illo uno laudando consentiunt. nam- 2
que ea, quae supra scripsimus, de eo praedicarunt
atque hoc amplius: cum Athenis, splendidissima civi-
tate, natus esset, omnes splendore ac dignitate su- 3
perasse vitae, postquam inde expulsus Thebas vene-
rit, adeo studiis eorum inservisse, ut nemo eum
labore corporisque viribus posset aequiperare (omnes
enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii
acumini inserviunt), eundem apud Lacedaemonios, 4
quorum moribus summa virtus in patientia ponebatur,
sic duritiae se dedisse, ut parsimonia victus atque
cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud
Thracas, homines vinolentos rebusque veneriis de-
ditos: hos quoque in his rebus antecessisse: venisse 5
ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter ve-
nari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetu-
dinem, ut illi ipsi eum in his maxime admirarentur.
quibus rebus effecisse ut, apud quoscumque esset, 6
princeps poneretur habereturque carissimus. sed satis
de hoc: reliquos ordiamur.

VIII. THRASYBULUS.

1 Thrasybulus, Lyci filius, Atheniensis. si per se virtus sine fortuna ponderanda est, dubito an hunc primum omnium ponam. illud sine dubio: neminem huic praefero fide, constantia, magnitudine animi,
2 in patriam amore. nam quod multi voluerunt paucique potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut a triginta oppressam tyrannis e servi-
3 tute in libertatem vindicaret. sed nescio quo modo, cum eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate praecucurrerunt. primum Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: quae ille universa naturali quodam bono fecit
4 lucri. sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus et fortuna, quod in proelii concursu abit res a consilio ad vires virtutemque pugnantium. itaque iure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima vero fortuna vindicat, seque his plus valuisse [quam ducis prudentiam] vere potest prae-
5 dicare. quare illud magnificentissimum factum proprium est Thrasybuli. nam cum triginta tyranni, praepositi a Lacedaemoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, quibus in bello parserat fortuna, partim patria expulissent partim interfecissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent, non solum princeps, sed etiam solus initio bellum iis indixit.

2 Hic enim cum Phylen confugisset, quod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secum triginta de suis. hoc initium fuit salutis Atti-
2 corum, hoc robur libertatis clarissimae civitatis. neque vero hic non contemptus est primo a tyrannis atque eius solitudo. quae quidem res et illis contemnentibus perniciei et huic despecto saluti fuit: haec enim illos segnes ad persequendum, hos autem
3 tempore ad comparandum dato fecit robustiores. quo

magis praeceptum illud omnium in animis esse debet: nihil in bello oportere contemni, neque sine causa dici matrem timidi flere non solere. neque 4
tamen pro opinione Thrasybuli auctae sunt opes: nam iam [tum] illis temporibus fortius boni pro libertate loquebantur quam pugnabant. hinc in Piraeum transiit Munychiamque munivit. hanc bis tyranni 5
oppugnare sunt adorti, ab eaque turpiter repulsi protinus in urbem armis impedimentisque amissis refugerunt. usus est Thrasybulus non minus pru- 6
dentia quam fortitudine. nam cedentes violari vetuit (cives enim civibus parcere aequum censebat), neque quisquam est vulneratus, nisi qui prior impugnare voluit. neminem iacentem veste spoliavit, nil attigit nisi arma, quorum indigebat, quaeque ad victum pertinebant. in secundo proelio cecidit Critias, dux 7
tyrannorum, cum quidem exadversus Thrasybulum fortissime pugnaret.

Hoc deiecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex 3
Lacedaemoniorum. is inter Thrasybulum et eos, qui urbem tenebant, fecit pacem his condicionibus: ne qui praeter triginta tyrannos et decem, qui postea praetores creati superioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio neve bona publicarentur: rei publicae procuratio populo redderetur. praeclarum hoc 2
quoque Thrasybuli, quod reconciliata pace, cum plurimum in civitate posset, legem tulit, ne quis ante actarum rerum accusaretur neve multaretur, eamque illi oblivionis appellarunt. neque vero hanc tantum 3
ferendam curavit, sed etiam ut valeret effecit. nam cum quidam ex iis, qui simul cum eo in exilio fuerant, caedem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat publice, prohibuit et id quod pollicitus erat praestitit.

Huic pro tantis meritis honoris corona a po- 4
pulo data est, facta duabus virgulis oleaginis. quam quod amor civium et non vis expresserat, nullam habuit invidiam magnaque fuit gloria. bene ergo 2

Pittacus ille, qui in septem sapientum numero est habitus, cum Mytilenaei multa milia iugerum agri ei muneri darent, 'nolite, oro vos' inquit 'id mihi dare, quod multi invideant, plures etiam concupiscant. quare ex istis nolo amplius quam centum iugera, quae et meam animi aequitatem et vestram voluntatem indicent.' nam parva munera diutina,
3 locupletia non propria esse consuerunt. illa igitur corona contentus Thrasybulus neque amplius requisivit neque quemquam honore se antecessisse exsti-
4 mavit. hic sequenti tempore, cum praetor classem ad Ciliciam appulisset neque satis diligenter in castris eius agerentur vigiliae, a barbaris ex oppido noctu eruptione facta in tabernaculo interfectus est.

IX. CONON.

1 Conon Atheniensis Peloponnesio bello accessit ad rem publicam, in eoque eius opera magni fuit. nam et praetor pedestribus exercitibus praefuit et praefectus classis magnas mari res gessit. quas ob causas praecipuus ei honos habitus est. namque omnibus unus insulis praefuit, in qua potestate Pheras
2 cepit, coloniam Lacedaemoniorum. fuit etiam extremo Peloponnesio bello praetor, cum apud Aegos flumen copiae Atheniensium ab Lysandro sunt devictae: sed tum abfuit, eoque peius res administrata est: nam et prudens rei militaris et diligens erat
3 imperator. itaque nemini erat iis temporibus dubium, si adfuisset, illam Athenienses calamitatem accepturos non fuisse.

2 Rebus autem afflictis, cum patriam obsideri audisset, non quaesivit, ubi ipse tuto viveret, sed unde praesidio posset esse civibus suis. itaque contulit se ad Pharnabazum, satrapem Ioniae et Lydiae eundemque generum regis et propinquum: apud quem

ut multum gratia valeret, multo labore multisque
effecit periculis. nam cum Lacedaemonii Atheniensi- 2
bus devictis in societate non manerent, quam cum
Artaxerxe fecerant, Agesilaumque bellatum misissent
in Asiam, maxime impulsi a Tissapherne, qui ex
intimis regis ab amicitia eius defecerat et cum La-
cedaemoniis coierat societatem, hunc adversus Phar-
nabazus habitus est imperator, re quidem vera exer-
citui praefuit Conon eiusque omnia arbitrio gesta
sunt. hic multum ducem summum Agesilaum im- 3
pedivit saepeque eius consiliis obstitit, neque vero
non fuit apertum, si ille non fuisset, Agesilaum
Asiam Tauro tenus regi fuisse erepturum. qui 4
posteaquam domum a suis civibus revocatus est, quod
Boeotii et Athenienses Lacedaemoniis bellum indixe-
rant, Conon nihilo secius apud praefectos regis ver-
sabatur iisque omnibus magno erat usui.

Defecerat a rege Tissaphernes, neque id tam Ar- 3
taxerxi quam ceteris erat apertum: multis enim ma-
gnisque meritis apud regem, etiam cum in officio
non maneret, valebat. neque id erat mirandum, si
non facile ad credendum adducebatur, reminiscens
eius se opera Cyrum fratrem superasse. huius accu- 2
sandi gratia Conon a Pharnabazo ad regem missus
posteaquam venit, primum ex more Persarum ad
chiliarchum, qui secundum gradum imperii tenebat,
Tithrausten accessit seque ostendit cum rege collo-
qui velle: nemo enim sine hoc admittitur. huic ille 3
'nulla' inquit 'mora est, sed tu delibera, utrum col-
loqui malis an per litteras agere quae cogitas. ne-
cesse est enim, si in conspectum veneris, venerari
te regem [quod προσκύνησιν illi vocant]. hoc si
tibi grave est, per me nihilo secius editis mandatis
conficies quod studes'. tum Conon 'mihi vero' in- 4
quit 'non est grave quemvis honorem habere regi,
sed vereor, ne civitati meae sit opprobrio, si,
cum ex ea sim profectus, quae ceteris gentibus im-
perare consuerit, potius barbarorum quam illius

more fungar.' itaque, quae huic volebat, scripta
tradidit.

4 Quibus cognitis rex tantum auctoritate eius motus est, ut et Tissaphernem hostem iudicarit et Lacedaemonios bello persequi iusserit et ei permiserit
quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam. id
arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius,
qui optime suos nosse deberet, sed se suadere Phar-
2 nabazo id negotii daret. hinc magnis muneribus do-
natus ad mare est missus, ut Cypriis et Phoenicibus
ceterisque maritimis civitatibus naves longas impe-
raret classemque, qua proxima aestate mare tueri
posset, compararet, dato adiutore Pharnabazo, sicut
3 ipse voluerat. id ut Lacedaemoniis est nuntiatum,
non sine cura rem administrant, quod maius bellum
imminere arbitrabantur, quam si cum barbaro solum
contenderent. nam ducem fortem, prudentem regiis
opibus praefuturum ac secum dimicaturum videbant,
quem neque consilio neque copiis superare possent.
4 hac mente magnam contrahunt classem: proficiscun-
tur Pisandro duce. hos Conon apud Cnidum ador-
tus magno proelio fugat, multas naves capit, com-
plures deprimit. qua victoria non solum Athenae,
sed etiam cuncta Graecia, quae sub Lacedaemoniorum
5 fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte na-
vium in patriam venit, muros dirutos a Lysandro
utrosque, et Piraei et Athenarum, reficiendos curat
pecuniaeque quinquaginta talenta, quae a Pharnabazo
acceperat, civibus suis donat.

5 Accidit huic, quod ceteris mortalibus, ut incon-
sideratior in secunda quam in adversa esset fortuna.
nam classe Peloponnesiorum devicta, cum ultum se
iniurias patriae putaret, plura concupivit quam effi-
2 cere potuit. neque tamen ea non pia et probanda
fuerunt, quod potius patriae opes augeri quam regis
maluit. nam cum magnam auctoritatem sibi pugna
illa navali, quam apud Cnidum fecerat, constituisset
non solum inter barbaros, sed etiam omnes Graeciae

civitates, clam dare operam coepit, ut Ioniam et Aeoliam restitueret Atheniensibus. id cum minus 3 diligenter esset celatum, Tiribazus, qui Sardibus praeerat, Cononem evocavit, simulans ad regem eum se mittere velle magna de re. huius nuntio parens cum venisset, in vincla coniectus est, in quibus aliquamdiu fuit. inde nonnulli eum ad regem abductum 4 ibique eum perisse scriptum reliquerunt. contra ea Dinon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit: illud addubitat, utrum Tiribazo sciente an imprudente sit factum.

X. DION.

1 Dion, Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. namque ille superior Aristomachen, sororem Dionis, habuit in matrimonio, ex qua duos filios, Hipparinum et Nisaeum, procreavit totidemque filias, nomine Sophrosynen et Areten, quarum priorem Dionysio filio, eidem, cui regnum reliquit, nuptum dedit, alteram, Areten, Dioni. Dion autem praeter 2 nobilem propinquitatem generosamque maiorum famam multa alia ab natura habuit bona, in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, quae non minimum commendat, magnas praeterea divitias a patre relictas, quas ipse tyranni muneribus auxerat. erat intimus Dionysio 3 priori, neque minus propter mores quam affinitatem. namque etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen salvum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa studebat. aderat in magnis rebus, eiusque consilio multum movebatur tyrannus, nisi qua in re maior ipsius cupiditas intercesserat. lega- 4 tiones vero omnes, quae essent illustriores, per Dionem administrabantur: quas quidem ille diligenter

obeundo, fideliter administrando crudelissimum no-
5 men tyranni sua humanitate leniebat. hunc a Dio-
nysio missum Carthaginienses sic suspexerunt, ut
neminem umquam Graeca lingua loquentem magis
sint admirati.

2 Neque vero haec Dionysium fugiebant: nam
quanto esset sibi ornamento, sentiebat. quo fiebat
ut uni huic maxime indulgeret neque eum secus
2 diligeret ac filium: qui quidem, cum Platonem Ta-
rentum venisse fama in Siciliam esset perlata, adu-
lescenti negare non potuerit, quin eum arcesseret,
cum Dion eius audiendi cupiditate flagraret. dedit
ergo huic veniam magnaque eum ambitione Syracusas
3 perduxit. quem Dion adeo admiratus est atque ada-
mavit, ut se ei totum traderet. neque vero minus
ipse Plato delectatus est Dione. itaque cum a ty-
ranno crudeliter violatus esset, quippe quem venum-
dari iussisset, tamen eodem rediit eiusdem Dionis
4 precibus adductus. interim in morbum incidit Dio-
nysius. quo cum gravi conflictaretur, quaesivit a
medicis Dion, quem ad modum se haberet, simulque
ab iis petiit, si forte in maiore esset periculo, ut
sibi faterentur: nam velle se cum eo colloqui de
partiendo regno, quod sororis suae filios ex illo
5 natos partem regni putabat debere habere. id me-
dici non tacuerunt et ad Dionysium filium sermo-
nem rettulerunt. quo ille commotus, ne agendi esset
Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit.
hoc aeger sumpto sopitus diem obiit supremum.

3 Tale initium fuit Dionis et Dionysii simultatis
eaque multis rebus aucta est. sed tamen primis tem-
poribus aliquamdiu simulata inter eos amicitia man-
sit. cum Dion non desisteret obsecrare Dionysium,
ut Platonem Athenis arcesseret et eius consiliis ute-
retur, ille, qui in aliqua re vellet patrem imitari,
2 morem ei gessit. eodemque tempore Philistum histo-
ricum Syracusas reduxit, hominem amicum non ma-
gis tyranno quam tyrannidi. sed de hoc in eo libro

plura sunt exposita, qui de historicis Graecis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium 3
auctoritate potuit valuitque eloquentia, ut ei persuaserit tyrannidis facere finem libertatemque reddere Syracusanis: a qua voluntate Philisti consilio deterritus aliquanto crudelior esse coepit.

Qui quidem cum a Dione se superari videret in- 4
genio, auctoritate, amore populi, verens ne, si eum secum haberet, aliquam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qua Corinthum deveheretur, ostendens se id utriusque facere causa, ne, cum inter se timerent, alteruter alterum praeoccuparet. id cum factum multi indignarentur ma- 2
gnaeque esset invidiae tyranno, Dionysius omnia, quae moveri poterant Dionis, in naves imposuit ad eumque misit. sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suae salutis fecisse causa. postea vero quam audivit eum in Peloponneso ma- 3
num comparare sibique bellum facere conari, Areten, Dionis uxorem, alii nuptum dedit filiumque eius sic educari iussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. nam puero prius quam pubes esset, 4
scorta adducebantur, vino epulisque obruebatur, neque ullum tempus sobrio relinquebatur. is usque eo 5
vitae statum commutatum ferre non potuit, postquam in patriam rediit pater (namque appositi erant custodes, qui eum a pristino victu deducerent), ut se de superiore parte aedium deiecerit atque ita interierit. sed illuc revertor.

Postquam Corinthum pervenit Dion et eodem 5
perfugit Heraclides ab eodem expulsus Dionysio, qui praefectus fuerat equitum, omni ratione bellum comparare coeperunt. sed non multum proficiebant, quod 2
multorum annorum tyrannis magnarum opum putabatur: quam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. sed Dion, fretus non tam suis 3
copiis quam odio tyranni, maximo animo duabus onerariis navibus quinquaginta annorum imperium,

munitum quingentis longis navibus, decem equitum
centumque peditum milibus, profectus oppugnatum,
quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeo
facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam
attigerat, Syracusas introierit. ex quo intellegi po-
test nullum esse imperium tutum nisi benivolentia
4 munitum. eo tempore aberat Dionysius et in Italia
classem opperiebatur adversariorum, ratus neminem
sine magnis copiis ad se venturum: quae res eum
5 fefellit. nam Dion iis ipsis, qui sub adversarii fue-
rant potestate, regios spiritus repressit totiusque eius
partis Siciliae potitus est, quae sub Dionysii fuerat
potestate, parique modo urbis Syracusarum praeter
6 arcem et insulam adiunctam oppido, eoque rem per-
duxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere
vellet: Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius,
Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem uni habe-
bat. Dion ***

6 Has tam prosperas tamque inopinatas res con-
secuta est subita commutatio, quod fortuna sua mo-
bilitate, quem paulo ante extulerat, demergere est
2 adorta. primum in filio, de quo commemoravi supra,
suam vim exercuit. nam cum uxorem reduxisset,
quae alii fuerat tradita, filiumque vellet revocare ad
virtutem a perdita luxuria, accepit gravissimum pa-
3 rens vulnus morte filii. deinde orta dissensio est
inter eum et Heraclidem, qui, quod ei principatum
non concedebat, factionem comparavit. neque is
minus valebat apud optimates, quorum consensu prae-
erat classi, cum Dion exercitum pedestrem teneret.
4 non tulit hoc animo aequo Dion, et versum illum
Homeri rettulit ex secunda rhapsodia, in quo haec
sententia est: non posse bene geri rem publicam
multorum imperiis. quod dictum magna invidia con-
secuta est: namque aperuisse videbatur omnia in
5 sua potestate esse velle. hanc ille non lenire obse-
quio, sed acerbitate opprimere studuit, Heraclidem-
que, cum Syracusas venisset, interficiundum curavit.

Quod factum omnibus maximum timorem iniecit: 7
nemo enim illo interfecto se tutum putabat. ille
autem adversario remoto licentius eorum bona, quos
sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit.
quibus divisis cum cotidiani maximi fierent sumptus, 2
celeriter pecunia deesse coepit, neque, quo manus
porrigeret, suppetebat nisi in amicorum possessiones.
id eius modi erat, ut, cum milites reconciliasset,
amitteret optimates. quarum rerum cura frangeba- 3
tur et insuetus male audiendi non animo aequo fere-
bat, de se ab iis male existimari, quorum paulo ante
in caelum fuerat elatus laudibus. vulgus autem
offensa in eum militum voluntate liberius loquebatur
et tyrannum non ferendum dictitabat.

Haec ille intuens cum quem ad modum sedaret 8
nesciret et quorsum evaderent timeret, Callicrates
quidam, civis Atheniensis, qui simul cum eo ex Pe-
loponneso in Siciliam venerat, homo et callidus et
ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide, adit
ad Dionem et ait: eum magno in periculo esse 2
propter offensionem populi et odium militum, quod
nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum nego-
tium daret, qui se simularet illi inimicum. quem
si invenisset idoneum, facile omnium animos cogni-
turum adversariosque sublaturum, quod inimici eius
dissidentes suos sensus aperturi forent. tali consilio 3
probato excepit has partes ipse Callicrates et se
armat imprudentia Dionis. ad eum interficiundum
socios conquirit, adversarios eius convenit, coniura-
tione confirmat. res, multis consciis quae ageretur, 4
elata defertur ad Aristomachen, sororem Dionis,
uxoremque Areten. illae timore perterritae conve-
niunt, cuius de periculo timebant. at ille negat a
Callicrate fieri sibi insidias, sed illa, quae agerentur,
fieri praecepto suo. mulieres nihilo secius Callicra- 5
tem in aedem Proserpinae deducunt ac iurare cogunt,
nihil ab illo periculi fore Dioni. ille hac religione
non modo non est deterritus, sed ad maturandum

concitatus est, verens ne prius consilium aperiretur
suum, quam conata perfecisset.
9 Hac mente proximo die festo, cum a conventu
se remotum Dion domi teneret atque in conclavi
edito recubuisset, consciis facinoris loca munitiora
oppidi tradit, domum custodiis saepit, a foribus qui
2 non discedant, certos praeficit, navem triremem ar-
matis ornat Philostratoque, fratri suo, tradit eamque
in portu agitari iubet, ut si exercere remiges vellet,
cogitans, si forte consiliis obstitisset fortuna, ut ha-
3 beret, qua aufugeret ad salutem. suorum autem e
numero Zacynthios adulescentes quosdam eligit cum
audacissimos tum viribus maximis, hisque dat nego-
tium, ad Dionem eant inermes, sic ut conveniendi
eius gratia viderentur venire. hi propter notitiam
4 sunt intromissi. at illi, ut limen eius intrarant, fo-
ribus obseratis in lecto cubantem invadunt, colli-
gant: fit strepitus, adeo ut exaudiri posset foris.
5 hic, sicut ante saepe dictum est, quam invisa sit
singularis potentia et miseranda vita, qui se metui
6 quam amari malunt, cuivis facile intellectu fuit. nam-
que illi ipsi custodes, si prompta fuissent voluntate,
foribus effractis servare eum potuissent, quod illi
inermes telum foris flagitantes vivum tenebant. cui
cum succurreret nemo, Lyco quidam Syracusanus per
fenestras gladium dedit, quo Dion interfectus est.
10 Confecta caede, cum multitudo visendi gratia
introisset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur.
nam celeri rumore dilato, Dioni vim allatam, multi
concurrerant, quibus tale facinus displicebat. hi falsa
suspicione ducti immerentes ut sceleratos occidunt.
2 huius de morte ut palam factum est, mirabiliter vulgi
mutata est voluntas. nam qui vivum eum tyrannum
vocitarant, eidem liberatorem patriae tyrannique ex-
pulsorem praedicabant. sic subito misericordia odio
successerat, ut eum suo sanguine ab Acherunte, si
3 possent, cuperent redimere. itaque in urbe celeber-
rimo loco, elatus publice, sepulcri monumento do-

natus est. diem obiit circiter annos quinquaginta natus, quartum post annum, quam ex Peloponneso in Siciliam redierat.

XI. IPHICRATES.

Iphicrates Atheniensis non tam magnitudine re- 1
rum gestarum quam disciplina militari nobilitatus
est. fuit enim talis dux, ut non solum aetatis suae
cum primis compararetur, sed ne de maioribus natu
quidem quisquam anteponeretur. multum vero in 2
bello est versatus, saepe exercitibus praefuit, nus-
quam culpa male rem gessit, semper consilio vicit
tantumque eo valuit, ut multa in re militari partim
nova attulerit, partim meliora fecerit. namque ille
pedestria arma mutavit. cum ante illum imperatorem 3
maximis clipeis, brevibus hastis, minutis gladiis ute- 4
rentur, ille e contrario peltam pro parma fecit (a
quo postea peltastae pedites appellabantur), ut ad
motus concursusque essent leviores, hastae modum
duplicavit, gladios longiores fecit. idem genus lori-
carum et pro sertis atque aënis linteas dedit. quo
facto expeditiores milites reddidit: nam pondere de-
tracto, quod aeque corpus tegeret et leve esset,
curavit.

Bellum cum Thracibus gessit, Seuthem, socium 2
Atheniensium, in regnum restituit. apud Corin-
thum tanta severitate exercitui praefuit, ut nullae
umquam in Graecia neque exercitatiores copiae ne-
que magis dicto audientes fuerint duci: in eamque 2
consuetudinem adduxit, ut, cum proelii signum ab
imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordina-
tae consisterent, ut singuli a peritissimo imperatore
dispositi viderentur. hoc exercitu moram Lacedae- 3
moniorum interfecit, quod maxime tota celebratum
est Graecia. iterum eodem bello omnes copias eorum

4 fugavit, quo facto magnam adeptus est gloriam. cum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit, Iphicraten ab Atheniensibus ducem petivit, quem praeficeret exercitui conducticio, cuius numerus XII milium fuit. quem quidem sic omni disciplina militari erudivit, ut, quem ad modum quondam Fabiani milites Romani appellati sunt, sic Iphicratenses apud
5 Graecos in summa laude fuerint. idem subsidio Lacedaemoniis profectus Epaminondae retardavit impetus. nam nisi eius adventus appropinquasset, non prius Thebani Sparta abscessissent, quam captam incendio delessent.

3 Fuit autem et animo magno et corpore imperatoriaque forma, ut ipso aspectu cuivis iniiceret admi-
2 rationem sui, sed in labore nimis remissus parumque patiens, ut Theopompus memoriae prodidit, bonus vero civis fideque magna. quod cum in aliis rebus declaravit, tum maxime in Amyntae Macedonis liberis tuendis. namque Eurydice, mater Perdiccae et Philippi, cum his duobus pueris Amynta mortuo ad Iphicraten confugit eiusque opibus defensa
3 est. vixit ad senectutem placatis in se suorum civium animis. causam capitis semel dixit, bello sociali, simul cum Timotheo, eoque iudicio est abso-
4 lutus. Menesthea filium reliquit ex Thrassa natum, Coti regis filia. is cum interrogaretur, utrum pluris patrem matremne faceret, 'matrem' inquit. id cum omnibus mirum videretur, at ille 'merito' inquit 'facio: nam pater, quantum in se fuit, Thracem me genuit, contra ea mater Atheniensem.'

XII. CHABRIAS.

1 Chabrias Atheniensis. hic quoque in summis habitus est ducibus resque multas memoria dignas gessit. sed ex iis elucet maxime inventum eius in

proelio, quod apud Thebas fecit, cum Boeotis sub-
sidio venisset. namque in eo victoria fidente summo 2
duce Agesilao, fugatis iam ab eo conducticiis cater-
vis, reliquam phalangem loco vetuit cedere obnixo-
que genu scuto, proiecta hasta impetum excipere
hostium docuit. id novum Agesilaus contuens pro-
gredi non est ausus suosque iam incurrentes tuba
revocavit. hoc usque eo tota Graecia fama celebra- 3
tum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri
voluerit, quae publice ei ab Atheniensibus in foro
constituta est. ex quo factum est ut postea athletae
ceterique artifices iis statibus in statuis ponendis ute-
rentur, quibus victoriam essent adepti.

Chabrias autem multa in Europa bella admi- 2
nistravit, cum dux Atheniensium esset; in Aegypto
sua sponte gessit: nam Nectenebin adiutum pro-
fectus regnum ei constituit. fecit idem Cypri, sed 2
publice ab Atheniensibus Euagorae adiutor datus,
neque prius inde discessit, quam totam insulam bello
devinceret: qua ex re Athenienses magnam gloriam
sunt adepti. interim bellum inter Aegyptios et Per- 3
sas conflatum est. Athenienses cum Artaxerxe socie-
tatem habebant, Lacedaemonii cum Aegyptiis, a qui-
bus magnas praedas Agesilaus, rex eorum, faciebat.
id intuens Chabrias, cum in re nulla Agesilao cede-
ret, sua sponte eos adiutum profectus Aegyptiae
classi praefuit, pedestribus copiis Agesilaus.

Tum praefecti regis Persae legatos miserunt Athe- 3
nas questum, quod Chabrias adversum regem bellum
gereret cum Aegyptiis. Athenienses diem certam
Chabriae praestituerunt, quam ante domum nisi re-
disset, capitis se illum damnaturos denuntiarunt.
hoc ille nuntio Athenas rediit, neque ibi diutius
est moratus, quam fuit necesse. non enim libenter 2
erat ante oculos suorum civium, quod et vivebat
laute et indulgebat sibi liberalius, quam ut invidiam
vulgi posset effugere. est enim hoc commune vitium 3
magnis liberisque civitatibus, ut invidia gloriae

comes sit et libenter de iis detrahant, quos eminere videant altius, neque animo aequo pauperes alienam [opulentium] intueantur fortunam. itaque Chabrias,
4 cum ei liceBat, plurimum aberat. neque vero solus
ille aberat Athenis libenter, sed omnes fere principes fecerunt idem, quod tantum se ab invidia putabant afuturos, quantum a conspectu suorum recesserint. itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbo, Chares Sigeo, dissimilis quidem Chares horum et factis et moribus, sed tamen Athenis et honoratus et potens.

4 Chabrias autem periit bello sociali tali modo. oppugnabant Athenienses Chium. erat in classe Chabrias privatus, sed omnes, qui in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumque magis milites quam qui
2 praeerant aspiciebant. quae res ei maturavit mortem. nam dum primus studet portum intrare gubernatoremque iubet eo dirigere navem, ipse sibi perniciei fuit: cum enim eo penetrasset, ceterae non sunt secutae. quo facto circumfusus hostium concursu cum fortissime pugnaret, navis rostro percussa coepit
3 sidere. hinc refugere cum posset, si se in mare deiecisset, quod suberat classis Atheniensium, quae exciperet natantes, perire maluit quam armis abiectis navem relinquere, in qua fuerat vectus. id ceteri facere noluerunt, qui nando in tutum pervenerunt. at ille, praestare honestam mortem existimans turpi vitae, comminus pugnans telis hostium interfectus est.

XIII. TIMOTHEUS.

1 Timotheus, Cononis filius, Atheniensis. hic a patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus: fuit enim disertus, impiger, laboriosus, rei militaris peri-
2 tus neque minus civitatis regendae. multa huius sunt praeclare facta, sed haec maxime illustria.

Olynthios et Byzantios bello subegit. Samum cepit:
in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille
et CC talenta consumpserant, id ille sine ulla publica
impensa populo restituit. adversus Cotum bella ges-
sit ab eoque mille et CC talenta praedae in publicum
rettulit. Cyzicum obsidione liberavit. Ariobarzani 3
simul cum Agesilao auxilio profectus est: a quo cum
Laco pecuniam numeratam accepisset, ille cives suos
agro atque urbibus augeri maluit quam id sumere,
cuius partem domum suam ferre posset. itaque ac-
cepit Crithotem et Sestum.

Idem classi praefectus circumvehens Peloponne- 2
sum, Laconicen populatus, classem eorum fugavit,
Corcyram sub imperium Atheniensium redegit, socios-
que idem adiunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas
omnesque eas gentes, quae mare illud adiacent. quo 2
facto Lacedaemonii de diutina contentione destite-
runt et sua sponte Atheniensibus imperii maritimi
principatum concesserunt, pacemque iis legibus con-
stituerunt, ut Athenienses mari duces essent. quae
victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut tum primum
arae Paci publice sint factae eique deae pulvinar sit
institutum. cuius laudis ut memoria maneret, Timo- 3
theo publice statuam in foro posuerunt. qui honos
huic uni ante id tempus contigit, ut, cum patri
populus statuam posuisset, filio quoque daret. sic
iuxta posita recens filii veterem patris renovavit
memoriam.

Hic cum esset magno natu et magistratus gerere 3
desisset, bello Athenienses undique premi sunt coepti.
defecerat Samus, descierat Hellespontus, Philippus,
iam tum valens, multa moliebatur: cui oppositus
Chares cum esset, non satis in eo praesidii puta-
batur: fit Menestheus praetor, filius Iphicratis, gener 2
Timothei, et, ut ad bellum proficiscatur, decernitur.
huic in consilium dantur duo usu sapientiaque prae-
stantes, [quorum consilio uteretur] pater et socer,
quod in his tanta erat auctoritas, ut magna spes

3 esset per eos amissa posse recuperari. ii cum Sa-
mum profecti essent et eodem Chares illorum adventu
cognito cum suis copiis proficisceretur, ne quid ab-
sente se gestum videretur, accidit, cum ad insulam
appropinquarent, ut magna tempestas oreretur: quam
evitare duo veteres imperatores utile arbitrati suam
4 classem suppresserunt. at ille temeraria usus ratione
non cessit maiorum natu auctoritati, velut in sua
manu esset fortuna. quo contenderat, pervenit,
eodemque ut sequerentur, ad Timotheum et Iphi-
craten nuntium misit. hinc male re gesta, complu-
ribus amissis navibus eo, unde erat profectus, se
recepit litterasque Athenas publice misit, sibi proclive
fuisse Samum capere, nisi a Timotheo et Iphicrate
5 desertus esset. populus acer, suspicax ob eamque
rem mobilis, adversarius, invidus [etiam potentiae in
crimen vocabantur] domum revocat: accusantur pro-
ditionis. hoc iudicio damnatur Timotheus lisque eius
aestimatur centum talentis. ille odio ingratae civi-
tatis coactus Chalcidem se contulit.
4 Huius post mortem cum populum iudicii sui
paeniteret, multae novem partes detraxit et decem
talenta Cononem, filium eius, ad muri quandam par-
tem reficiendam iussit dare. in quo fortunae varietas
est animadversa. nam quos avus Conon muros ex
hostium praeda patriae restituerat, eosdem nepos cum
summa ignominia familiae ex sua re familiari refi-
2 cere coactus est. Timothei autem moderatae sapien-
tisque vitae cum pleraque possimus proferre testimo-
nia, uno erimus contenti, quod ex eo facile coniici
poterit, quam carus suis fuerit. cum Athenis adu-
lescentulus causam diceret, non solum amici priva-
tique hospites ad eum defendendum convenerunt, sed
etiam in eis Iason, tyrannus Thessaliae, qui illo tem-
3 pore fuit omnium potentissimus. hic cum in patria
sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas
sine ullo praesidio venit tantique hospitem fecit, ut
mallet se capitis periculum adire quam Timotheo de

fama dimicanti deesse. hunc adversus tamen Timotheus postea populi iussu bellum gessit: patriae sanctiora iura quam hospitii esse duxit.

Haec extrema fuit aetas imperatorum Atheniensium, Iphicratis, Chabriae, Timothei: neque post illorum obitum quisquam dux in illa urbe fuit dignus memoria. 4

Venio nunc ad fortissimum virum maximique consilii omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginiensibus, Hamilcare et Hannibale. de quo hoc plura referemus, quod et obscuriora sunt eius gesta pleraque et ea, quae prospere ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, quo tum omnes superabat, acciderunt: quorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. 5 6

XIV. DATAMES.

Datames, patre Camisare, natione Care, matre 1
Scythissa natus, primum militum in numero fuit apud Artaxerxen eorum, qui regiam tuebantur. pater eius Camisares, quod et manu fortis et bello strenuus et regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciae iuxta Cappadociam, quam incolunt Leucosyri.
2 Datames militare munus fungens primum, qualis esset, aperuit in bello, quod rex adversus Cadusios gessit. namque hic, multis milibus regiorum interfectis, magni fuit eius opera. quo factum est, cum in eo bello cecidisset Camisares, ut paterna ei traderetur provincia.

Pari se virtute postea praebuit, cum Autophro- 2
dates iussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant. namque huius opera hostes, cum castra iam intrassent, profligati sunt exercitusque reliquus conservatus regis est: qua ex re maioribus rebus praeesse coepit.
2 erat eo tempore Thuys dynastes

Paphlagoniae, antiquo genere ortus a Pylaemene illo,
quem Homerus Troico bello a Patroclo interfectum
3 ait. is regi dicto audiens non erat. quam ob causam
bello eum persequi constituit eique rei praefecit Da-
tamen, propinquum Paphlagonis: namque ex fratre
et sorore erant nati. quam ob causam Datames pri-
mum experiri voluit, ut sine armis propinquum ad
officium reduceret. ad quem cum venisset sine prae-
sidio, quod ab amico nullas vereretur insidias, paene
4 interiit: nam Thuys eum clam interficere voluit. erat
mater cum Datame, amita Paphlagonis. ea, quid
5 ageretur, resciit filiumque monuit. ille fuga pericu-
lum evitavit bellumque indixit Thuyni. in quo cum
ab Ariobarzane, praefecto Lydiae et Ioniae totiusque
Phrygiae, desertus esset, nihilo segnius perseveravit
vivumque Thuyn cepit cum uxore et liberis.

3 Cuius facti ne prius fama ad regem quam ipse
perveniret, dedit operam. itaque omnibus insciis eo,
ubi erat rex, venit posteroque die Thuyn, hominem
maximi corporis terribilique facie, quod et niger et
capillo longo barbaque erat promissa, optima veste
texit, quam satrapae regii gerere consuerant, or-
navit etiam torque atque armillis aureis ceteroque
2 regio cultu: ipse agresti duplici amiculo circumdatus
hirtaque tunica, gerens in capite galeam venatoriam,
dextra manu clavam, sinistra copulam, qua vinctum
ante se Thuynem agebat, ut si feram bestiam captam
3 duceret. quem cum omnes conspicerent propter no-
vitatem ornatus ignotamque formam ob eamque rem
magnus esset concursus, fuit nonnemo, qui agno-
4 sceret Thuyn regique nuntiaret. primo non accredi-
dit: itaque Pharnabazum misit exploratum. a quo
ut rem gestam comperit, statim admitti iussit, magno
opere delectatus cum facto tum ornatu, in primis
quod nobilis rex in potestatem inopinanti venerat.
5 itaque magnifice Datamen donatum ad exercitum
misit, qui tum contrahebatur duce Pharnabazo et
Tithrauste ad bellum Aegyptium, parique eum atque

illos imperio esse iussit. postea vero quam Pharna-
bazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est.

Hic cum maximo studio compararet exercitum 4
Aegyptumque proficisci pararet, subito a rege litterae
sunt ei missae, ut Aspim aggrederetur, qui Catao-
niam tenebat: quae gens iacet supra Ciliciam, con-
finis Cappadociae. namque Aspis, saltuosam regio- 2
nem castellisque munitam incolens, non solum im-
perio regis non parebat, sed etiam finitimas regiones
vexabat et quae regi portarentur abripiebat. Data- 3
mes, etsi longe aberat ab his regionibus et a maiore
re abstrahebatur, tamen regis voluntati morem ge-
rendum putavit. itaque cum paucis, sed viris for-
tibus navem conscendit, existimans, quod accidit,
facilius se imprudentem parva manu oppressurum
quam paratum quamvis magno exercitu. hac dela- 4
tus in Ciliciam, egressus inde, dies noctesque iter
faciens Taurum transiit eoque, quo studuerat, venit.
quaerit, quibus locis sit Aspis: cognoscit haud longe
abesse profectumque eum venatum. quae dum spe-
culatur, adventus eius causa cognoscitur. Pisidas
cum eis, quos secum habebat, ad resistendum Aspis
comparat. id Datames ubi audivit, arma sumit, suos 5
sequi iubet: ipse equo concitato ad hostem vehitur.
quem procul Aspis conspiciens ad se ferentem per-
timescit atque a conatu resistendi deterritus sese
dedidit. hunc Datames vinctum ad regem ducendum
tradit Mithridati.

Haec dum geruntur, Artaxerxes reminiscens, a 5
quanto bello ad quam parvam rem principem ducum
misisset, se ipse reprehendit et nuntium ad exerci-
tum Acen misit, quod nondum Datamen profectum
putabat, qui diceret, ne ab exercitu discederet. hic
priusquam perveniret, quo erat profectus, in itinere
convenit, qui Aspim ducebant. qua celeritate cum 2
magnam benivolentiam regis Datames consecutus
esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, quod
illum unum pluris quam se omnes fieri videbant.

quo facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt.
3 haec Pandantes, gazae custos regiae, amicus Datami, perscripta ei mittit, in quibus docet eum in magno fore periculo, si quid illo imperante adversi in
4 Aegypto accidisset. namque eam esse consuetudinem regiam, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunae suae: quo fieri ut facile impellantur ad eorum perniciem, quorum ductu res male gestae nuntientur. illum hoc maiore fore in discrimine, quod, quibus rex maxime oboediat, eos habeat
5 inimicissimos. talibus ille litteris cognitis, cum iam ad exercitum Acen venisset, quod non ignorabat ea vere scripta, desciscere a rege constituit. neque tamen quicquam fecit, quod fide sua esset indignum.
6 nam Mandroclen Magnetem exercitui praefecit: ipse cum suis in Cappadociam discedit coniunctamque huic Paphlagoniam occupat, celans, qua voluntate esset in regem. clam cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit.

6 Sed haec propter hiemale tempus minus prospere procedebant. audit Pisidas quasdam copias adversus se parare. filium eo Arsideum cum exercitu mittit: cadit in proelio adulescens. proficiscitur eo pater non ita cum magna manu, celans, quantum vulnus accepisset, quod prius ad hostem pervenire cupiebat, quam de male re gesta fama ad suos perveniret, ne cognita filii morte animi debilitarentur
2 militum. quo contenderat, pervenit iisque locis castra ponit, ut neque circumiri multitudine adversariorum posset neque impediri, quo minus ipse ad dimican-
3 dum manum haberet expeditam. erat cum eo Mithrobarzanes, socer eius, praefectus equitum. is desperatis generi rebus ad hostes transfugit. id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset ab homine tam necessario se relictum, futurum ut ceteri con-
4 silium sequerentur, in vulgus edit: suo iussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, quo facilius re-

ceptus interficeret hostes: quare relinqui eum par
non esse et omnes confestim sequi. quod si animo
strenuo fecissent, futurum ut adversarii non possent
resistere, cum et intra vallum et foris caederentur.
hac re probata exercitum educit, Mithrobarzanem 5
persequitur tantum: qui cum ad hostes pervenerat,
Datames signa inferri iubet. Pisidae nova re com- 6
moti in opinionem adducuntur perfugas mala fide
compositoque fecisse, ut recepti maiori essent calami-
tati. primum eos adoriuntur. illi cum, quid agere-
tur aut quare fieret, ignorarent, coacti sunt cum
eis pugnare, ad quos transierant, ab iisque stare,
quos reliquerant: quibus cum neutri parcerent, ce-
leriter sunt concisi. reliquos Pisidas resistentes Da- 7
tames invadit: primo impetu pellit, fugientes perse-
quitur, multos interficit, castra hostium capit. tali 8
consilio uno tempore et proditores perculit et hostes
profligavit, et, quod ad perniciem suam fuerat cogi-
tatum, id ad salutem convertit. quo neque acutius
ullius imperatoris cogitatum neque celerius factum
usquam legimus.

Ab hoc tamen viro Sysinas, maximo natu filius, 7
desciit ad regemque transiit et de defectione patris
detulit. quo nuntio Artaxerxes commotus, quod in-
tellegebat sibi cum viro forti ac strenuo negotium
esse, qui, cum cogitasset, facere auderet et prius
cogitare quam conari consuesset, Autophrodatem in
Cappadociam mittit. hic ne intrare posset, saltum, 2
in quo Ciliciae portae sunt sitae, Datames praeoccu-
pare studuit. sed tam subito copias contrahere non 3
potuit. a qua re depulsus cum ea manu, quam con-
traxerat, locum deligit talem, ut neque circumiretur
ab hostibus neque praeteriret adversarius, quin anci-
pitibus locis premeretur, et, si dimicare eo vellet,
non multum obesse multitudo hostium suae pauci-
tati posset.

Haec etsi Autophrodates videbat, tamen statuit 8
congredi quam cum tantis copiis refugere aut tam

diu uno loco sedere. habebat barbarorum equitum
2 XX, peditum centum milia, quos illi Cardacas appel-
lant, eiusdemque generis III milia funditorum, prae-
terea Cappadocum VIII milia, Armeniorum X milia,
Paphlagonum V milia, Phrygum X milia, Lydorum
V milia, Aspendiorum et Pisidarum circiter III milia,
Cilicum II milia, Captianorum totidem, ex Graecia
conductorum III milia, levis armaturae maximum
3 numerum. has adversus copias spes omnis consiste-
bat Datami in se locique natura: namque huius par-
tem non habebat vicesimam militum. quibus fretus
conflixit adversariorumque multa milia concidit, cum
de ipsius exercitu non amplius hominum mille ceci-
disset. quam ob causam postero die tropaeum posuit,
4 quo loco pridie pugnatum erat. hinc cum castra
movisset semperque inferior copiis superior omnibus
proeliis discederet, quod numquam manum conse-
reret, nisi cum adversarios locorum angustiis clau-
sisset, quod perito regionum callideque cogitanti
5 saepe accidebat, Autophrodates, cum bellum duci
maiore regis calamitate quam adversariorum videret,
pacem amicitiamque hortatus est, ut cum rege in
6 gratiam rediret. quam ille etsi fidam non fore puta-
bat, tamen condicionem accepit seque ad Artaxerxem
legatos missurum dixit. sic bellum, quod rex ad-
versus Datamen susceperat, sedatum est. Autophro-
dates in Phrygiam se recepit.

9 At rex, quod implacabile odium in Datamen
susceperat, postquam bello eum opprimi non posse
animadvertit, insidiis interficere studuit: quas ille
2 plerasque evitavit. sicut, cum ei nuntiatum esset
quosdam sibi insidiari, qui in amicorum erant nu-
mero: de quibus, quod inimici detulerant, neque
credendum neque neglegendum putavit: experiri vo-
3 luit, verum falsumne sibi esset relatum. itaque eo
profectus est, in quo itinere futuras insidias dixe-
rant. sed elegit corpore ac statura simillimum sui
eique vestitum suum dedit atque eo loco ire, quo

ipse consuerat, iussit: ipse autem ornatu vestituque militari inter corporis custodes iter facere coepit. at 4
insidiatores, postquam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine atque vestitu impetum in eum faciunt, qui suppositus erat. praedixerat autem iis Datames, cum quibus iter faciebat, ut parati essent facere, quod ipsum vidissent. ipse, ut concurrentes 5
insidiatores animum advertit, tela in eos coniecit. hoc idem cum universi fecissent, priusquam pervenirent ad eum, quem aggredi volebant, confixi conciderunt.

Hic tamen tam callidus vir extremo tempore 10
captus est Mithridatis, Ariobarzanis filii, dolo. namque is pollicitus est regi se eum interfecturum, si ei rex permitteret, ut quodcumque vellet liceret impune facere, fidemque de ea re more Persarum dextra dedisset. hanc ut accepit a rege missam, copias 2
parat et absens amicitiam cum Datame facit, regis provincias vexat, castella expugnat, magnas praedas capit, quarum partim suis dispertit, partim ad Datamen mittit; pari modo complura castella ei tradit. haec diu faciendo persuasit homini se infinitum ad- 3
versus regem suscepisse bellum, cum nihilo magis, ne quam suspicionem illi praeberet insidiarum, neque colloquium eius petivit neque in conspectum venire studuit. sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed communi odio, quod erga regem susceperant, contineri viderentur.

Id cum satis se confirmasse arbitratus esset, cer- 11
tiorem facit Datamen, tempus esse maiores exercitus parari et bellum cum ipso rege suscipi, deque ea re, si ei videretur, quo loco vellet, in colloquium veniret. probata re colloquendi tempus sumitur locusque, quo conveniretur. huc Mithridates cum 2
uno, cui maxime habebat fidem, ante aliquot dies venit compluribusque locis separatim gladios obruit eaque loca diligenter notat. ipso autem colloquii die utrique, locum qui explorarent atque ipsos scruta-

3 rentur, mittunt: deinde ipsi sunt congressi. hic cum
aliquamdiu in colloquio fuissent et diverse discessis-
sent iamque procul Datames abesset, Mithridates,
priusquam ad suos perveniret, ne quam suspicionem
pareret, in eundem locum revertitur atque ibi, ubi
telum erat infossum, resedit, ut si lassitudine cu-
peret acquiescere, Datamenque revocavit, simulans
4 se quiddam in colloquio esse oblitum. interim te-
lum, quod latebat, protulit nudatumque vagina veste
texit ac Datami venienti ait, digredientem se ani-
madvertisse, locum quendam, qui erat in conspectu,
5 ad castra ponenda esse idoneum. quem cum digito
demonstraret et ille respiceret, aversum ferro trans-
fixit priusque, quam quisquam posset succurrere,
interfecit. ita ille vir, qui multos consilio, neminem
perfidia ceperat, simulata captus est amicitia.

XV. EPAMINONDAS.

1 Epaminondas, Polymnidis filius, Thebanus. de
hoc priusquam scribimus, haec praecipienda videntur
lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, neve
ea, quae ipsis leviora sunt, pari modo apud ceteros
2 fuisse arbitrentur. scimus enim musicen nostris mo-
ribus abesse a principis persona, saltare vero etiam
in vitiis poni: quae omnia apud Graecos et grata et
3 laude digna ducuntur. cum autem exprimere ima-
ginem consuetudinis atque vitae velimus Epaminon-
dae, nihil videmur debere praetermittere, quod per-
4 tineat ad eam declarandam. quare dicemus primum
de genere eius, deinde quibus disciplinis et a qui-
bus sit eruditus, tum de moribus ingeniique facul-
tatibus et si qua alia memoria digna erunt, postremo
de rebus gestis, quae a plurimis animi anteponuntur
virtutibus.

Natus igitur patre, quo diximus, genere honesto, 2
pauper iam a maioribus relictus est, eruditus autem
sic, ut nemo Thebanus magis. nam et citharizare et
cantare ad chordarum sonum doctus est a Dionysio,
qui non minore fuit in musicis gloria quam Damon
aut Lamprus, quorum pervulgata sunt nomina, can-
tare tibiis ab Olympiodoro, saltare a Calliphrone.
at philosophiae praeceptorem habuit Lysim Taren- 2
tinum, Pythagoreum: cui quidem sic fuit deditus,
ut adulescens tristem ac severum senem omnibus
aequalibus suis in familiaritate anteposuerit; neque
prius eum a se dimisit, quam in doctrinis tanto
antecessit condiscipulos, ut facile intellegi posset
pari modo superaturum omnes in ceteris artibus.
atque haec ad nostram consuetudinem sunt levia et 3
potius contemnenda: at in Graecia, utique olim,
magnae laudi erant. postquam ephebus est factus et 4
palaestrae dare operam coepit, non tam magnitu-
dini virium servivit quam velocitati: illam enim ad
athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilita-
tem pertinere. itaque exercebatur plurimum cur-
rendo et luctando ad eum finem, quoad stans com-
plecti posset atque contendere. in armis vero plu- 5
rimum studii consumebat.

Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi 3
bona accesserant. erat enim modestus, prudens, gra-
vis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis
manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut
ne ioco quidem mentiretur. idem continens, clemens 2
patiensque admirandum in modum, non solum po-
puli, sed etiam amicorum ferens iniurias, in primis
commissa celans, quod interdum non minus prodest
quam diserte dicere, studiosus audiendi: ex hoc enim
facillime disci arbitrabatur. itaque cum in circulum 3
venisset, in quo aut de re publica disputaretur aut
de philosophia sermo haberetur, numquam inde prius
discessit, quam ad finem sermo esset adductus. pau- 4
pertatem adeo facile perpessus est, ut de re publica

nihil praeter gloriam ceperit. amicorum in se tuendo
caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos saepe
sic usus est, ut iudicari possit omnia ei cum amicis
5 fuisse communia. nam cum aut civium suorum ali-
quis ab hostibus esset captus, aut virgo amici nubilis,
quae propter paupertatem collocari non posset, ami-
corum consilium habebat et, quantum quisque daret,
6 pro facultatibus imperabat. eamque summam cum
confecerat, priusquam acciperet pecuniam, adducebat
eum, qui quaerebat, ad eos, qui conferebant, eique
ut ipsi numerarent, faciebat, ut ille, ad quem ea
res perveniebat, sciret quantum cuique deberet.
4 Tentata autem eius est abstinentia a Diomedonte
Cyziceno: namque is rogatu Artaxerxis regis Epa-
minondam pecunia corrumpendum susceperat. hic
magno cum pondere auri Thebas venit et Micythum
adulescentulum quinque talentis ad suam perduxit
voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum dili-
gebat. Micythus Epaminondam convenit et causam
2 adventus Diomedontis ostendit. at ille Diomedonte
coram 'nihil' inquit 'opus pecunia est: nam si rex
ea vult, quae Thebanis sunt utilia, gratis facere
sum paratus, sin autem contraria, non habet auri
atque argenti satis. namque orbis terrarum divitias
3 accipere nolo prae patriae caritate. tu quod me in-
cognitum tentasti tuique similem existimasti, non
miror tibique ignosco; sed egredere propere, ne alios
corrumpas, cum me non potueris. et tu, Micythe,
argentum huic redde, aut, nisi id confestim facis,
4 ego te tradam magistratui.' hunc Diomedon cum
rogaret, ut tuto exiret suaque, quae attulerat, liceret
efferre, 'istud quidem' inquit 'faciam, neque tua causa,
sed mea, ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat
id ad me ereptum pervenisse, quod delatum acci-
5 pere noluissem.' a quo cum quaesisset, quo se de-
duci vellet, et ille Athenas dixisset, praesidium de-
dit, ut tuto perveniret. neque vero id satis habuit,
sed etiam, ut inviolatus in navem escenderet, per

Chabriam Atheniensem, de quo supra mentionem feci-
mus, effecit. abstinentiae erit hoc satis testimonium. 6
plurima quidem proferre possumus, sed modus adhi-
bendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excel-
lentium virorum complurium concludere constituimus,
quorum separatim multis milibus versuum complures
scriptores ante nos explicarunt.

Fuit etiam disertus, ut nemo ei Thebanus par 5
esset eloquentia, neque minus concinnus in brevitate
respondendi quam in perpetua oratione ornatus. ha- 2
buit obtrectatorem Menecliden quendam, indidem
Thebis, et adversarium in administranda re publica,
satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet:
namque illi genti plus inest virium quam ingenii.
is, quod in re militari florere Epaminondam videbat, 3
hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent,
ne illius imperatoris opera desideraretur. huic ille
'fallis' inquit 'verbo cives tuos, quod hos a bello
avocas: otii enim nomine servitutem concilias. nam 4
paritur pax bello. itaque qui ea diutina volunt frui,
bello exercitati esse debent. quare si principes Grae-
ciae vultis esse, castris est vobis utendum, non pa-
laestra.' idem ille Meneclides cum huic obiiceret, 5
quod liberos non haberet neque uxorem duxisset,
maximeque insolentiam, quod sibi Agamemnonis
belli gloriam videretur consecutus: at ille 'desine'
inquit 'Meneclida, de uxore mihi exprobrare: nam
nullius in ista re minus uti consilio volo.' (habebat
enim Meneclides suspicionem adulterii.) 'quod autem 6
me Agamemnonem aemulari putas, falleris. nam-
que ille cum universa Graecia vix decem annis unam
cepit urbem, ego contra ea una urbe nostra dieque
uno totam Graeciam Lacedaemoniis fugatis liberavi.'

Idem cum in conventum venisset Arcadum, pe- 6
tens ut societatem cum Thebanis et Argivis facerent,
contraque Callistratus, Atheniensium legatus, qui
eloquentia omnes eo praestabat tempore, postularet
ut potius amicitiam sequerentur Atticorum, et in

oratione sua multa invectus esset in Thebanos et
2 Argivos in eisque hoc posuisset, animum advertere
debere Arcades, quales utraque civitas cives pro-
creasset, ex quibus de ceteris possent iudicare: Ar-
givos enim fuisse Orestem et Alcmaeonem matrici-
das, Thebis Oedipum natum, qui cum patrem suum
3 interfecisset, ex matre liberos procreasse: huic in
respondendo Epaminondas, cum de ceteris perorasset,
postquam ad illa duo opprobria pervenit, admirari
se dixit stultitiam rhetoris Attici, qui non animad-
verterit, innocentes illos natos domi, scelere ad-
misso cum patria essent expulsi, receptos esse ab
4 Atheniensibus. sed maxime eius eloquentia eluxit
Spartae legati ante pugnam Leuctricam. quo cum
omnium sociorum convenissent legati, coram frequen-
tissimo legationum conventu sic Lacedaemoniorum
tyrannidem coarguit, ut non minus illa oratione
opes eorum concusserit quam Leuctrica pugna. tum
enim perfecit, quod post apparuit, ut auxilio Lace-
daemonii sociorum privarentur.

7 Fuisse patientem suorumque iniurias ferentem
civium, quod se patriae irasci nefas esse duceret,
haec sunt testimonia. cum eum propter invidiam
cives sui praeficere exercitui noluissent duxque esset
delectus belli imperitus, cuius errore eo esset de-
ducta illa multitudo militum, ut omnes de salute
pertimescerent, quod locorum angustiis clausi ab
hostibus obsidebantur, desiderari coepta est Epami-
nondae diligentia: erat enim ibi privatus numero
2 militis. a quo cum peterent opem, nullam adhibuit
memoriam contumeliae et exercitum obsidione libera-
3 tum domum reduxit incolumem. nec vero hoc semel
fecit, sed saepius. maxime autem fuit illustre, cum
in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lace-
daemonios haberetque collegas duos, quorum alter
erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. hi cum crimi-
nibus adversariorum omnes in invidiam venissent
ob eamque rem imperium iis esset abrogatum atque

in eorum locum alii praetores successissent, Epami- 4
nondas populi scito non paruit idemque ut facerent persuasit collegis et bellum, quod susceperat, gessit. namque animadvertebat, nisi id fecisset, totum exercitum propter praetorum imprudentiam inscitiamque belli periturum. lex erat Thebis, quae morte multa- 5
bat, si quis imperium diutius retinuisset, quam lege praefinitum foret. hanc Epaminondas cum rei publicae conservandae causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit et quattuor mensibus diutius, quam populus iusserat, gessit imperium.

Postquam domum reditum est, collegae eius hoc 8
crimine accusabantur. quibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent suaque opera factum contenderent, ut legi non oboedirent. qua defensione illis periculo liberatis nemo Epaminondam responsurum putabat, quod, quid diceret, non haberet. at ille in iudicium venit, nihil eorum negavit, 2
quae adversarii crimini dabant, omniaque, quae collegae dixerant, confessus est neque recusavit quo minus legis poenam subiret, sed unum ab iis petivit, ut in sepulcro suo inscriberent: Epaminondas 3
a Thebanis morte multatus est, quod eos coegit apud Leuctra superare Lacedaemonios, quos ante se imperatorem nemo Boeotorum ausus sit aspicere in acie, quodque uno proelio non solum Thebas ab in- 4
teritu retraxit, sed etiam universam Graeciam in libertatem vindicavit eoque res utrorumque perduxit, ut Thebani Spartam oppugnarent, Lacedaemonii satis haberent, si salvi esse possent, neque 5
prius bellare destitit, quam Messene restituta urbem eorum obsidione clausit.' haec cum dixisset, risus omnium cum hilaritate coortus est, neque quisquam iudex ausus est de eo ferre suffragium. sic a iudicio capitis maxima discessit gloria.

Hic extremo tempore imperator apud Manti- 9
neam cum acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus a Lacedaemoniis, quod in unius pernicie

eius patriae sitam putabant salutem, universi in unum impetum fecerunt neque prius abscesserunt, quam magna caede multisque occisis fortissime ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum,
2 concidere viderunt. huius casu aliquantum retardati sunt Boeoti, neque tamen prius pugna excesserunt,
3 quam repugnantes profligarunt. at Epaminondas, cum animadverteret mortiferum se vulnus accepisse simulque, si ferrum, quod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim emissurum, usque eo retinuit, quoad renuntiatum est vicisse
4 Boeotos. id postquam audivit, 'satis' inquit 'vixi: invictus enim morior.' tum ferro extracto confestim exanimatus est.

10 Hic uxorem numquam duxit. in quo cum reprehenderetur [quod liberos non relinqueret] a Pelopida, qui filium habebat infamem, maleque eum in eo patriae consulere diceret, 'vide' inquit 'ne tu peius consulas, qui talem ex te natum relicturus
2 sis. neque vero stirps potest mihi deesse: namque ex me natam relinquo pugnam Leuctricam, quae non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit ne-
3 cesse est.' quo tempore duce Pelopida exules Thebas occuparunt et praesidium Lacedaemoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, quamdiu facta est caedes civium, domo se tenuit, quod neque malos defendere volebat neque impugnare, ne manus suorum sanguine cruentaret: namque omnem civilem victoriam funestam putabat. idem, postquam apud Cadmeam cum Lacedaemoniis pugnari coeptum est, in primis stetit.

4 Huius de virtutibus vitaque satis erit dictum, si hoc unum adiunxero, quod nemo ibit inficias, Thebas et ante Epaminondam natum et post eiusdem interitum perpetuo alieno paruisse imperio, contra ea, quam diu ille praefuerit rei publicae, caput fuisse totius Graeciae. ex quo intellegi potest unum hominem pluris quam civitatem fuisse.

XVI. PELOPIDAS.

Pelopidas Thebanus, magis historicis quam vulgo 1
notus. cuius de virtutibus dubito quem ad modum exponam, quod vereor, si res explicare incipiam, ne non vitam eius enarrare, sed historiam videar scribere: si tantummodo summas attigero, ne rudibus Graecarum litterarum minus dilucide appareat, quantus fuerit ille vir. itaque utrique rei occurram, quantum potuero, et medebor cum satietati tum ignorantiae lectorum.

Phoebidas Lacedaemonius, cum exercitum Olyn- 2
thum duceret iterque per Thebas faceret, arcem oppidi, quae Cadmea nominatur, occupavit impulsu paucorum Thebanorum, qui adversariae factioni quo facilius resisterent, Laconum rebus studebant, idque suo privato, non publico fecit consilio. quo facto 3
eum Lacedaemonii ab exercitu removerunt pecuniaque multarunt: neque eo magis arcem Thebanis reddiderunt, quod susceptis inimicitiis satius ducebant eos obsideri quam liberari. nam post Peloponnesium bellum Athenasque devictas cum Thebanis sibi rem esse existimabant et eos esse solos, qui adversus resistere auderent. hac mente amicis suis 4
summas potestates dederant alteriusque factionis principes partim interfecerant, alios in exilium eiecerant: in quibus Pelopidas hic, de quo scribere exorsi sumus, pulsus patria carebat.

Hi omnes fere Athenas se contulerant, non quo 2
sequerentur otium, sed ut, quem ex proximo locum fors obtulisset, eo patriam recuperare niterentur. itaque cum tempus esset visum rei gerendae, com- 2
muniter cum iis, qui Thebis idem sentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos civitatemque liberandam eum, quo maximi magistratus simul consuerant epulari. magnae saepe res non ita magnis 3
copiis sunt gestae, sed profecto numquam tam ab

tenui initio tantae opes sunt profligatae. nam duo-
decim adulescentuli coierunt ex iis, qui exilio erant
multati, cum omnino non essent amplius centum,
qui tanto se offerrent periculo. qua paucitate per-
4 culsa est Lacedaemoniorum potentia. hi enim non
magis adversariorum factioni quam Spartanis eo tem-
pore bellum intulerunt, qui principes erant totius
Graeciae: quorum imperii maiestas, neque ita multo
post, Leuctrica pugna ab hoc initio perculsa conci-
5 dit. illi igitur duodecim, quorum dux erat Pelopidas,
cum Athenis interdiu exissent, ut vesperascente
caelo Thebas possent pervenire, cum canibus venati-
cis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, quo mi-
nore suspicione facerent iter. qui cum tempore ipso,
quo studuerant, pervenissent, domum Charonis de-
verterunt, a quo et tempus et dies erat datus.

3 Hoc loco libet interponere, etsi seiunctum ab
re proposita est, nimia fiducia quantae calamitati
soleat esse. nam magistratuum Thebanorum statim
ad aures pervenit exules in urbem venisse. id illi
vino epulisque dediti usque eo despexerunt, ut ne
2 quaerere quidem de tanta re laborarint. accessit
etiam quod magis aperiret eorum dementiam. allata
est enim epistola Athenis ab Archino uni ex his,
Archiae, qui tum maximum magistratum Thebis
obtinebat, in qua omnia de profectione eorum per-
scripta erant. quae cum iam accubanti in convivio
esset data, sicut erat signata, sub pulvinum sub-
3 iiciens 'in crastinum' inquit 'differo res serias.' at
illi omnes, cum iam nox processisset, vinolenti ab
exulibus duce Pelopida sunt interfecti. quibus rebus
confectis, vulgo ad arma libertatemque vocato, non
solum qui in urbe erant, sed etiam undique ex agris
concurrerunt, praesidium Lacedaemoniorum ex arce
pepulerunt, patriam obsidione liberarunt, auctores
Cadmeae occupandae partim occiderunt, partim in
exilium eiecerunt.

4 Hoc tam turbido tempore, sicut supra docuimus,

Epaminondas, quoad cum civibus dimicatum est,
domi quietus fuit. itaque haec liberatarum Theba-
rum propria laus est Pelopidae, ceterae fere com-
munes cum Epaminonda. namque in Leuctrica 2
pugna imperatore Epaminonda hic fuit dux delectae
manus, quae prima phalangem prostravit Laconum.
omnibus praeterea periculis adfuit (sicut, Spartam 3
cum oppugnavit, alterum tenuit cornu), quoque Mes-
sena celerius restitueretur, legatus in Persas est
profectus. denique haec fuit altera persona Thebis,
sed tamen secunda ita, ut proxima esset Epami-
nondae.

Conflictatus autem est cum adversa fortuna. nam 5
et initio, sicut ostendimus, exul patria caruit et, cum
Thessaliam in potestatem Thebanorum cuperet re-
digere legationisque iure satis tectum se arbitrare-
tur, quod apud omnes gentes sanctum esse con-
suesset, a tyranno Alexandro Pheraeo simul cum
Ismenia comprehensus in vincla coniectus est. hunc 2
Epaminondas recuperavit, bello persequens Alexan-
drum. post id factum numquam animo placari potuit
in eum, a quo erat violatus. itaque persuasit The-
banis ut subsidio Thessaliae proficiscerentur tyran-
nosque eius expellerent. cuius belli cum ei summa 3
esset data eoque cum exercitu profectus esset, non
dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. in 4
quo proelio Alexandrum ut animadvertit, incensus
ira equum in eum concitavit proculque digressus a
suis coniectu telorum confossus concidit. atque hoc
secunda victoria accidit: nam iam inclinatae erant
tyrannorum copiae. quo facto omnes Thessaliae civi- 5
tates interfectum Pelopidam coronis aureis et statuis
aëneis liberosque eius multo agro donarunt.

XVII. AGESILAUS.

1 Agesilaus Lacedaemonius cum a ceteris scripto-
ribus, tum eximie a Xenophonte Socratico collau-
2 datus est: eo enim usus est familiarissime. hic pri-
mum de regno cum Leotychide, fratris filio, habuit
contentionem. mos erat enim a maioribus Lacedae-
moniis traditus, ut duos haberent semper reges, no-
mine magis quam imperio, ex duabus familiis Procli
et Eurysthenis, qui principes ex progenie Herculis
3 Spartae reges fuerunt. horum ex altera in alterius
familiae locum fieri non licebat: ita utraque suum
retinebat ordinem. primum ratio habebatur, qui
maximus natu esset ex liberis eius, qui regnans de-
cessisset: sin is virilem sexum non reliquisset, tum
4 deligebatur, qui proximus esset propinquitate. mor-
tuus erat Agis rex, frater Agesilai: filium reliquerat
Leotychidem. quem ille natum non agnorat, eun-
dem moriens suum esse dixerat. is de honore regni
cum Agesilao, patruo suo, contendit, neque id, quod
5 petivit, consecutus est. nam Lysandro suffragante,
homine, ut ostendimus supra, factioso et iis tempo-
ribus potente, Agesilaus antelatus est.

2 Hic simulatque imperii potitus est, persuasit
Lacedaemoniis ut exercitus emitterent in Asiam bel-
lumque regi facerent, docens satius esse in Asia
quam in Europa dimicari. namque fama exierat
Artaxerxen comparare classes pedestresque exercitus,
2 quos in Graeciam mitteret. data potestate tanta
celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis
pervenerit, quam regii satrapae eum scirent pro-
fectum. quo factum est ut omnes imparatos im-
3 prudentesque offenderet. id ut cognovit Tissaphernes,
qui summum imperium tum inter praefectos habebat
regios, inducias a Lacone petivit, simulans se dare
operam, ut Lacedaemoniis cum rege conveniret, re
autem vera ad copias comparandas, easque impetravit

trimenstres. iuravit autem uterque se sine dolo in- 4
ducias conservaturum. in qua pactione summa fide
mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud
quam bellum comparavit. id etsi sentiebat Laco, ta- 5
men iusiurandum servabat multumque in eo se con-
sequi dicebat, quod Tissaphernes periurio suo et ho-
mines suis rebus abalienaret et deos sibi iratos
redderet, se autem conservata religione confirmare
exercitum, cum animadverteret deum numen facere
secum, hominesque sibi conciliari amiciores, quod
iis studere consuessent, quos conservare fidem vi-
derent.

Postquam induciarum praeteriit dies, barbarus 3
non dubitans, quod ipsius erant plurima domicilia
in Caria et ea regio iis temporibus multo putabatur
locupletissima, eo potissimum hostes impetum factu-
ros, omnes suas copias eo contraxerat. at Agesilaus 2
in Phrygiam se convertit eamque prius depopulatus
est, quam Tissaphernes usquam se moveret. magna
praeda militibus locupletatis Ephesum hiematum
exercitum reduxit atque ibi officinis armorum insti-
tutis magna industria bellum apparavit. et quo stu-
diosius armarentur insigniusque ornarentur, praemia
proposuit, quibus donarentur, quorum egregia in
ea re fuisset industria. fecit idem in exercitationum 3
generibus, ut, qui ceteris praestitissent, eos magnis
afficeret muneribus. his igitur rebus effecit ut et
ornatissimum et exercitatissimum haberet exercitum.
huic cum tempus esset visum copias extrahere ex 4
hibernaculis, vidit, si, quo esset iter facturus, palam
pronuntiasset, hostes non credituros aliasque regiones
praesidiis occupaturos neque dubitaturos aliud eum
facturum ac pronuntiasset. itaque cum ille Sardis 5
iturum se dixisset, Tissaphernes eandem Cariam de-
fendendam putavit. in quo cum eum opinio fefellisset
victumque se vidisset consilio, sero suis praesidio
profectus est. nam cum illo venisset, iam Agesilaus
multis locis expugnatis magna erat praeda potitus.

6 Laco autem cum videret hostes equitatu superare,
numquam in campo sui fecit potestatem et iis lo-
cis manum conseruit, quibus plus pedestres copiae
valerent. pepulit ergo, quotienscumque congressus
est, multo maiores adversariorum copias et sic in
Asia versatus est, ut omnium opinione victor du-
ceretur.

4 Hic cum iam animo meditaretur proficisci in
Persas et ipsum regem adoriri, nuntius ei domo
venit ephororum missu, bellum Athenienses et Boeo-
tos indixisse Lacedaemoniis: quare venire ne dubi-
2 taret. in hoc non minus eius pietas suspicienda
est quam virtus bellica: qui cum victori praeesset
exercitui maximamque haberet fiduciam regni Per-
sarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit
iussis absentium magistratuum, ut si privatus in co-
mitio esset Spartae. cuius exemplum utinam im-
3 peratores nostri sequi voluissent! sed illuc redeamus.
Agesilaus opulentissimo regno praeposuit bonam
existimationem multoque gloriosius duxit, si insti-
tutis patriae paruisset, quam si bello superasset
4 Asiam. hac igitur mente Hellespontum copias traiecit
tantaque usus est celeritate, ut, quod iter Xerxes
anno vertente confecerat, hic transierit triginta die-
5 bus. cum iam haud ita longe abesset a Pelopon-
neso, obsistere ei conati sunt Athenienses et Boeoti
ceterique eorum socii apud Coroneam: quos omnes
6 gravi proelio vicit. huius victoriae vel maxima fuit
laus, quod, cum plerique ex fuga se in templum
Minervae coniecissent quaerereturque ab eo, quid iis
vellet fieri, etsi aliquot vulnera acceperat eo proelio
et iratus videbatur omnibus, qui adversus arma tule-
rant, tamen antetulit irae religionem et eos vetuit
7 violari. neque vero hoc solum in Graecia fecit, ut
templa deorum sancta haberet, sed etiam apud bar-
baros summa religione omnia simulacra arasque
8 conservavit. itaque praedicabat mirari se, non sacri-
legorum numero haberi, qui supplicibus deorum

nocuissent, aut non gravioribus poenis affici, qui
religionem minuerent, quam qui fana spoliarent.

Post hoc proelium collatum omne bellum est 5
circa Corinthum ideoque Corinthium est appellatum.
hic cum una pugna decem milia hostium Agesilao 2
duce cecidissent eoque facto opes adversariorum de-
bilitatae viderentur, tantum afuit ab insolentia glo-
riae, ut commiseratus sit fortunam Graeciae, quod
tam multi a se victi vitio adversariorum concidis-
sent: namque illa multitudine, si sana mens esset,
Graeciae supplicium Persas dare potuisse. idem, 3
cum adversarios intra moenia compulisset et ut Co-
rinthum oppugnaret multi hortarentur, negavit id
suae virtuti convenire: se enim eum esse dixit, qui
ad officium peccantes redire cogeret, non qui urbes
nobilissimas expugnaret Graeciae. 'nam si' inquit 4
'eos exstinguere voluerimus, qui nobiscum adversus
barbaros steterunt, nosmet ipsi nos expugnaverimus
illis quiescentibus. quo facto sine negotio, cum vo-
luerint, nos oppriment.'

Interim accidit illa calamitas apud Leuctra La- 6
cedaemoniis. quo ne proficisceretur, cum a pleris-
que ad exeundum premeretur, ut si de exitu divi-
naret, exire noluit. idem, cum Epaminondas Spar-
tam oppugnaret essetque sine muris oppidum, talem
se imperatorem praebuit, ut eo tempore omnibus
apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non
fuisse. in quo quidem discrimine celeritas eius con- 2
silii saluti fuit universis. nam cum quidam adu-
lescentuli, hostium adventu perterriti, ad Thebanos
transfugere vellent et locum extra urbem editum ce-
pissent, Agesilaus, qui perniciosissimum fore videret,
si animadversum esset, quemquam ad hostes trans-
fugere conari, cum suis eo venit atque, ut si bono
animo fecissent, laudavit consilium eorum, quod eum
locum occupassent, et se quoque id fieri debere
animadvertisse. sic adulescentes simulata laudatione 3
recuperavit et adiunctis de suis comitibus locum

tutum reliquit. namque illi adiecto numero eorum, qui expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi eoque libentius, quod latere arbitrabantur quae cogitaverant.

7 Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedaemonii se numquam refecerunt neque pristinum imperium recuperarunt, cum interim numquam Agesilaus destitit quibuscumque rebus posset patriam
2 iuvare. nam cum praecipue Lacedaemonii indigerent pecunia, ille omnibus, qui a rege defecerant, praesidio fuit: a quibus magna donatus pecunia pa-
3 triam sublevavit. atque in hoc illud in primis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus ac dynastis civitatibusque conferrentur, quod nihil umquam domum suam contulit, nihil de victu, nihil de
4 vestitu Laconum mutavit. domo eadem fuit contentus, qua Eurysthenes, progenitor maiorum suorum, fuerat usus: quam qui intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriae videre poterat, contra ea plurima patientiae atque abstinentiae. sic enim erat instructa, ut in nulla re differret cuiusvis inopis atque privati.

8 Atque hic tantus vir ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore fingendo: nam et statura fuit humili et corpore exiguo et claudus altero pede. quae res etiam nonnullam afferebat deformitatem, atque ignoti, faciem eius cum intuerentur, contemnebant, qui autem virtutes noverant, non poterant ad-
2 mirari satis. quod ei usu venit, cum annorum octoginta subsidio Tacho in Aegyptum iisset et in acta cum suis accubuisset sine ullo tecto stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis neque huc amplius quam pellis esset iniecta, eodemque comites omnes accubuissent vestitu humili atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his regem neminem significaret, sed homines non beatissimos esse suspi-
3 cionem praeberet. huius de adventu fama cum ad

regios esset perlata, celeriter munera eo cuiusque
generis sunt allata. his quaerentibus Agesilaum vix
fides facta est, unum esse ex iis, qui tum accubabant.
qui cum regis verbis quae attulerant dedissent, ille 4
praeter vitulinam et eiusmodi genera obsonii, quae
praesens tempus desiderabat, nihil accepit: unguenta,
coronas secundamque mensam servis dispertiit, cetera
referri iussit. quo facto eum barbari magis etiam 5
contempserunt, quod eum ignorantia bonarum rerum
illa potissimum sumpsisse arbitrabantur.
Hic cum ex Aegypto reverteretur, donatus a 6
rege Nectanabide ducentis viginti talentis, quae ille
muneri populo suo daret, venissetque in portum, qui
Menelai vocatur, iacens inter Cyrenas et Aegyptum,
in morbum implicitus decessit. ibi eum amici, quo 7
Spartam facilius perferre possent, quod mel non
habebant, cera circumfuderunt atque ita domum ret-
tulerunt.

XVIII. EUMENES.

Eumenes Cardianus. huius si virtuti par data 1
esset fortuna, non ille quidem maior, sed multo
illustrior atque etiam honoratior, quod magnos ho-
mines virtute metimur, non fortuna. nam cum aetas 2
eius incidisset in ea tempora, quibus Macedones flo-
rerent, multum ei detraxit inter eos viventi, quod
alienae erat civitatis, neque aliud huic defuit quam
generosa stirps. etsi ille domestico summo genere 3
erat, tamen Macedones eum sibi aliquando anteponi
indigne ferebant, neque tamen non patiebantur: vin-
cebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calli-
ditate et celeritate ingenii.
Hic peradulescentulus ad amicitiam accessit Phi- 4
lippi, Amyntae filii, brevique tempore in intimam
pervenit familiaritatem: fulgebat enim iam in adu-

5 lescentulo indoles virtutis. itaque eum habuit ad
manum scribae loco, quod multo apud Graios hono-
rificentius est quam apud Romanos. namque apud
nos re vera, sicut sunt, mercennarii scribae existi-
mantur: at apud illos e contrario nemo ad id officium
admittitur nisi honesto loco, et fide et industria
cognita, quod necesse est omnium consiliorum eum
6 esse participem. hunc locum tenuit amicitiae apud
Philippum annos septem. illo interfecto eodem
gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. novis-
simo tempore praefuit etiam alterae equitum alae,
quae Hetaerice appellabatur. utrique autem in con-
silio semper adfuit et omnium rerum habitus est
particeps.

2 Alexandro Babylone mortuo, cum regna singulis
familiaribus dispertirentur et summa rerum tradita
2 esset tuenda eidem, cui Alexander moriens anulum
suum dederat, Perdiccae (ex quo omnes coniecerant,
eum regnum ei commisisse, quoad liberi eius in suam
tutelam pervenissent: aberat enim Crateros et Anti-
pater, qui antecedere hunc videbantur, mortuus erat
Hephaestio, quem unum Alexander, quod facile in-
tellegi posset, plurimi fecerat), hoc tempore data
est Eumeni Cappadocia sive potius dicta: nam tum
3 in hostium erat potestate. hunc sibi Perdiccas
adiunxerat magno studio, quod in homine fidem et
industriam magnam videbat, non dubitans, si eum
pellexisset, magno usui fore sibi in iis rebus, quas
apparabat. cogitabat enim, quod fere omnes in
magnis imperiis concupiscunt, omnium partes cor-
4 ripere atque complecti. neque vero hoc ille solus
fecit, sed ceteri quoque omnes, qui Alexandri fuerant
amici. primus Leonnatus Macedoniam praeoccupare
destinavit. is multis magnisque pollicitationibus per-
suadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret ac
5 secum faceret societatem. cum perducere eum non
posset, interficere conatus est, et fecisset, nisi ille
clam noctu ex praesidiis eius effugisset.

Interim conflata sunt illa bella, quae ad inter- 3
necionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnes-
que concurrerunt ad Perdiccam opprimendum. quem
etsi infirmum videbat, quod unus omnibus resistere
cogebatur, tamen amicum non deseruit neque salutis
quam fidei fuit cupidior. praefecerat hunc Perdic- 2
cas ei parti Asiae, quae inter Taurum montem iacet
atque Hellespontum, et illum unum opposuerat
Europaeis adversariis: ipse Aegyptum oppugnatum
adversus Ptolemaeum erat profectus. Eumenes cum 3
neque magnas copias neque firmas haberet, quod et
inexercitatae et non multo ante erant contractae,
adventare autem dicerentur Hellespontumque tran-
sisse Antipater et Crateros magno cum exercitu Ma-
cedonum, viri cum claritate tum usu belli praestantes
(Macedones vero milites ea tum erant fama, qua 4
nunc Romani feruntur: etenim semper habiti sunt
fortissimi, qui summa imperii potirentur): Eumenes
intellegebat, si copiae suae cognossent, adversus
quos ducerentur, non modo non ituras, sed simul
cum nuntio dilapsuras. itaque hoc ei visum est pru- 5
dentissimum, ut deviis itineribus milites duceret, in
quibus vera audire non possent, et iis persuaderet
se contra quosdam barbaros proficisci. atque tenuit 6
hoc propositum et prius in aciem exercitum eduxit
proeliumque commisit, quam milites sui scirent, cum
quibus arma conferrent. effecit etiam illud locorum
praeoccupatione, ut equitatu potius dimicaret, quo
plus valebat, quam peditatu, quo erat deterior.

Quorum acerrimo concursu cum magnam par- 4
tem diei esset pugnatum, cadit Crateros dux et
Neoptolemus, qui secundum locum imperii tenebat.
cum hoc concurrit ipse Eumenes. qui cum inter se 2
complexi in terram ex equis decidissent, ut facile
intellegi possent inimica mente contendisse animo-
que magis etiam pugnasse quam corpore, non prius
distracti sunt, quam alterum anima relinqueret. ab
hoc aliquot plagis Eumenes vulneratur, neque eo

magis ex proelio excessit, sed acrius hostibus institit.
3 hic equitibus profligatis, interfecto duce Cratero,
multis praeterea et maxime nobilibus captis pedester
exercitus, quod in ea loca erat deductus, ut invito
Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit. quam
cum impetrasset, in fide non mansit et se, simul ac
4 potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum
ex acie semivivum elatum recreare studuit: cum id
non posset, pro hominis dignitate proque pristina
amicitia (namque illo usus erat Alexandro vivo fa-
miliariter) amplo funere extulit ossaque in Macedo-
niam uxori eius ac liberis remisit.

5 Haec dum apud Hellespontum geruntur, Per-
diccas apud Nilum flumen interficitur a Seleuco et
Antigene, rerumque summa ad Antipatrum defertur.
hic qui deseruerant, exercitu suffragium ferente, ca-
pitis absentes damnantur, in his Eumenes. hac ille
perculsus plaga non succubuit neque eo secius bel-
lum administravit. sed exiles res animi magnitudi-
2 nem, etsi non frangebant, tamen minuebant. hunc
persequens Antigonus, cum omni genere copiarum
abundaret, saepe in itineribus vexabatur, neque um-
quam ad manum accedere licebat nisi iis locis, qui-
3 bus pauci multis possent resistere. sed extremo tem-
pore, cum consilio capi non posset, multitudine
circumitus est. hinc tamen multis suis amissis se
expedivit et in castellum Phrygiae, quod Nora ap-
4 pellatur, confugit. in quo cum circumsederetur et
vereretur, ne uno loco manens equos militares per-
deret, quod spatium non esset agitandi, callidum fuit
eius inventum, quemadmodum stans iumentum con-
calfieri exercerique posset, quo libentius et cibo ute-
5 retur et a corporis motu non removeretur. sub-
stringebat caput loro altius, quam ut prioribus
pedibus plene terram posset attingere, deinde post
verberibus cogebat exultare et calces remittere: qui
motus non minus sudorem excutiebat, quam si in
6 spatio decurreret. quo factum est, quod omnibus

mirabile est visum, ut aeque iumenta nitida ex
castello educeret, cum complures menses in obsidione
fuisset, ac si in campestribus ea locis habuisset. in 7
hac conclusione, quotienscumque voluit, apparatum
et munitiones Antigoni alias incendit, alias disiecit.
tenuit autem se uno loco, quamdiu hiems fuit, quod
castra sub divo habere non poterat. ver appropin-
quabat: simulata deditione, dum de condicionibus
tractat, praefectis Antigoni imposuit seque ac suos
omnes extraxit incolumes.

Ad hunc Olympias, mater quae fuerat Alexandri, 6
cum litteras et nuntios misisset in Asiam consul-
tum, utrum regnum repetitum in Macedoniam ve-
niret (nam tum in Epiro habitabat) et eas res occu-
paret, huic ille primum suasit, ne se moveret et 2
exspectaret, quoad Alexandri filius regnum adipisce-
retur: sin aliqua cupiditate raperetur in Macedoniam,
obliviosceretur omnium iniuriarum et in neminem
acerbiore uteretur imperio. horum illa nihil fecit: 3
nam et in Macedoniam profecta est et ibi crudelis-
sime se gessit. petiit autem ab Eumene absente, ne
pateretur Philippi domus ac familiae inimicissimos
stirpem quoque interimere, ferretque opem liberis
Alexandri. quam veniam si daret, quam primum 4
exercitus pararet, quos sibi subsidio adduceret. id
quo facilius faceret, se omnibus praefectis, qui in
officio manebant, misisse litteras, ut ei parerent
eiusque consiliis uterentur. his rebus Eumenes per- 5
motus satius duxit, si ita tulisset fortuna, perire
bene meritis referentem gratiam quam ingratum
vivere.

Itaque copias contraxit, bellum adversus Anti- 7
gonum comparavit. quod una erant Macedones com-
plures nobiles, in iis Peucestes, qui corporis custos
fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem, et
Antigenes, cuius sub imperio phalanx erat Macedo-
num, invidiam verens, quam tamen effugere non
potuit, si potius ipse alienigena summi imperii poti-

retur, quam alii Macedonum, quorum ibi erat multi-
2 tudo, in principiis Alexandri nomine tabernaculum
statuit in eoque sellam auream cum sceptro ac diade-
mate iussit poni eoque omnes cotidie convenire, ut
ibi de summis rebus consilia caperentur, credens
minore se invidia fore, si specie imperii nominisque
simulatione Alexandri bellum videretur administrare.
3 quod effecit. nam cum non ad Eumenis principia,
sed ad regia conveniretur atque ibi de rebus delibe-
raretur, quodam modo latebat, cum tamen per eum
unum gererentur omnia.

8 Hic in Paraetacis cum Antigono conflixit, non
acie instructa, sed in itinere, eumque male acceptum
in Mediam hiematum coegit redire. ipse in finitima
regione Persidis hiematum copias divisit, non ut
2 voluit, sed ut militum cogebat voluntas. namque
illa phalanx Alexandri Magni, quae Asiam pera-
grarat deviceratque Persas, inveterata cum gloria tum
etiam licentia, non parere se ducibus, sed imperare
postulabat, ut nunc veterani faciunt nostri. itaque
periculum est ne faciant, quod illi fecerunt, sua in-
temperantia nimiaque licentia ut omnia perdant ne-
que minus eos, cum quibus steterint, quam adversus
3 quos fecerint. quodsi quis illorum veteranorum legat
facta, paria horum cognoscat neque rem ullam nisi
tempus interesse iudicet. sed ad illos revertar.
hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipso-
4 rum luxuriam, longeque inter se discesserant. hoc
Antigonus cum comperisset intellegeretque se parem
non esse paratis adversariis, statuit aliquid sibi con-
silii novi esse capiendum. duae erant viae, qua ex
Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hiberna-
5 cula posset perveniri. quarum brevior per loca de-
serta, quae nemo incolebat propter aquae inopiam,
ceterum dierum erat fere decem: illa autem, qua
omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat
anfractum, sed erat copiosa omniumque rerum abun-
6 dans. hac si proficisceretur, intellegebat prius ad-

versarios rescituros de suo adventu, quam ipse ter-
tiam partem confecisset itineris: sin per loca sola
contenderet, sperabat se imprudentem hostem op-
pressurum. ad hanc rem conficiendam imperavit 7
quam plurimos utres atque etiam culleos comparari,
post haec pabulum, praeterea cibaria cocta dierum
decem, ut quam minime fieret ignis in castris. iter
quo habeat, omnes celat. sic paratus, qua constituerat,
proficiscitur.

Dimidium fere spatium confecerat, cum ex fumo 9
castrorum eius suspicio allata est ad Eumenem hostem
appropinquare. conveniunt duces: quaeritur, quid
opus sit facto. intellegebant omnes tam celeriter
copias ipsorum contrahi non posse, quam Antigonus
adfuturus videbatur. hic omnibus titubantibus et de 2
rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeri-
tatem velint adhibere et imperata facere, quod ante
non fecerint, se rem expediturum. nam quod diebus
quinque hostis transisse posset, se effecturum, ut
non minus totidem dierum spatio retardaretur: quare
circumirent, suas quisque contraheret copias. ad 3
Antigoni autem refrenandum impetum tale capit con-
silium. certos mittit homines ad infimos montes, qui
obvii erant itineri adversariorum, iisque praecipit ut
prima nocte, quam latissime possint, ignes faciant
quam maximos atque hos secunda vigilia minuant,
tertia perexiguos reddant, et assimulata castrorum 4
consuetudine suspicionem iniiciant hostibus, iis locis
esse castra ac de eorum adventu esse praenuntiatum;
idemque postera nocte faciant. quibus imperatum 5
erat, diligenter praeceptum curant. Antigonus tene-
bris obortis ignes conspicatur: credit de suo adventu
esse auditum et adversarios illuc suas contraxisse
copias. mutat consilium et, quoniam imprudentes 6
adoriri non posset, flectit iter suum et illum an-
fractum longiorem copiosae viae capit ibique diem
unum opperitur ad lassitudinem sedandam militum ac
reficienda iumenta, quo integriore exercitu decerneret.

10 Sic Eumenes callidum imperatorem vicit consilio celeritatemque impedivit eius, neque tamen multum
2 profecit. nam invidia ducum, cum quibus erat, perfidiaque Macedonum veteranorum, cum superior proelio discessisset, Antigono est deditus, cum exercitus ei ter ante separatis temporibus iurasset se eum defensurum neque umquam deserturum. sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere
3 mallent quam eum non perdere. atque hunc Antigonus, cum ei fuisset infestissimus, conservasset, si per suos esset licitum, quod ab nullo se plus adiuvari posse intellegebat in iis rebus, quas impendere iam apparebat omnibus. imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolemaeus, opibus iam valentes, cum quibus ei de summis rebus erat dimicandum.
4 sed non passi sunt ii, qui circa erant, quod videbant Eumene recepto omnes prae illo parvi futuros. ipse autem Antigonus adeo erat incensus, ut nisi magna spe maximarum rerum leniri non posset.

11 Itaque cum eum in custodiam dedisset et praefectus custodum quaesisset, quem ad modum servari vellet, 'ut acerrimum' inquit 'leonem aut ferocissimum elephantum': nondum enim statuerat, conser-
2 varet eum necne. veniebat autem ad Eumenem utrumque genus hominum, et qui propter odium fructum oculis ex eius casu capere vellent, et qui propter veterem amicitiam colloqui consolarique cuperent, multi etiam, qui eius formam cognoscere studebant, qualis esset, quem tam diu tamque valde timuissent, cuius in pernicie positam spem habuis-
3 sent victoriae. at Eumenes, cum diutius in vinclis esset, ait Onomarcho, penes quem summa imperii erat custodiae, se mirari, quare iam tertium diem sic teneretur: non enim hoc convenire Antigoni prudentiae, ut sic deuteretur victo: quin aut interfici aut
4 missum fieri iuberet. hic cum ferocius Onomarcho loqui videretur, 'quid? tu', inquit, 'animo si isto eras, cur non in proelio cecidisti potius, quam in

potestatem inimici venires'? huic Eumenes 'utinam 5
quidem istud evenisset! sed eo non accidit, quod
numquam cum fortiore sum congressus: non enim
cum quoquam arma contuli, quin is mihi succu-
buerit. non [enim] virtute hostium, sed amicorum
perfidia decidi.' neque id erat falsum. [nam et
dignitate fuit honesta et viribus ad laborem feren-
dum firmis neque tam magno corpore quam figura
venusta.]

De hoc Antigonus cum solus constituere non 12
auderet, ad consilium rettulit. hic cum omnes primo
perturbati admirarentur, non iam de eo sumptum
esse supplicium, a quo tot annos adeo essent male
habiti, ut saepe ad desperationem forent adducti,
quique maximos duces interfecisset, denique in quo 2
uno tantum esset, ut, quoad ille viveret, ipsi securi
esse non possent, interfecto nihil habituri negotii
essent, postremo, si illi redderet salutem, quaerebant,
quibus amicis esset usurus: sese enim cum Eumene
apud eum non futuros. hic cognita consilii volun- 3
tate tamen usque ad septimum diem deliberandi sibi
spatium reliquit. tum autem, cum iam vereretur ne
qua seditio exercitus oreretur, vetuit quemquam ad
eum admitti et cotidianum victum removeri iussit:
nam negabat se ei vim allaturum, cui aliquando
fuisset amicus. hic tamen non amplius quam tri- 4
duum fame fatigatus, cum castra moverentur, in-
sciente Antigono iugulatus est a custodibus.

Sic Eumenes annorum quinque et quadraginta, 13
cum ab anno vicesimo, uti supra ostendimus, septem
annos Philippo apparuisset, tredecim apud Alexan-
drum eundem locum obtinuisset, in his unum equi-
tum alae praefuisset, post autem Alexandri Magni
mortem imperator exercitus duxisset summosque du-
ces partim repulisset, partim interfecisset, captus
non Antigoni virtute, sed Macedonum periurio talem
habuit exitum vitae. in quo quanta omnium fuerit 2
opinio eorum, qui post Alexandrum Magnum reges

sunt appellati, ex hoc facillime potest iudicari, quod
3 nemo Eumene vivo rex appellatus est, sed prae-
fectus, eidem post huius occasum statim regium
ornatum nomenque sumpserunt neque, quod initio
praedicarant, se Alexandri liberis regnum servare,
praestare voluerunt et uno propugnatore sublato quid
sentirent aperuerunt. huius sceleris principes fuerunt
Antigonus, Ptolemaeus, Seleucus, Lysimachus, Cas-
4 sandrus. Antigonus autem Eumenem mortuum pro-
pinquis eius sepeliendum tradidit. hi militari ho-
nestoque funere, comitante toto exercitu, humaverunt
ossaque eius in Cappadociam ad matrem atque uxo-
rem liberosque eius deportanda curarunt.

XIX. PHOCION.

1 Phocion Atheniensis etsi saepe exercitibus prae-
fuit summosque magistratus cepit, tamen multo eius
notior integritas vitae quam rei militaris labor. ita-
que huius memoria est nulla, illius autem magna
2 fama, ex quo cognomine Bonus est appellatus. fuit
enim perpetuo pauper, cum divitissimus esse posset
propter frequentes delatos honores potestatesque sum-
3 mas, quae ei a populo dabantur. hic cum a rege
Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, lega-
tique hortarentur accipere simulque admonerent, si
ipse iis facile careret, liberis tamen suis prospiceret,
quibus difficile esset in summa paupertate tantam
4 paternam tueri gloriam, his ille 'si mei similes erunt,
idem hic' inquit 'agellus illos alet, qui me ad hanc
dignitatem perduxit: sin dissimiles sunt futuri, nolo
meis impensis illorum ali augerique luxuriam.'

2 Idem cum prope ad annum octogesimum prospera
pervenisset fortuna, extremis temporibus magnum in
2 odium pervenit suorum civium, primo, quod cum
Demade de urbe tradenda Antipatro consenserat

eiusque consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene
de re publica meriti existimabantur, populi scito
in exilium erant expulsi. neque in eo solum offen-
derat, quod patriae male consuluerat, sed etiam, quod
amicitiae fidem non praestiterat. namque auctus 3
adiutusque a Demosthene eum, quem tenebat, ascen-
derat gradum, cum adversus Charetem eum subor-
naret: ab eodem in iudiciis, cum capitis causam di-
ceret, defensus aliquotiens, liberatus discesserat. hunc
non solum in periculis non defendit, sed etiam pro-
didit. concidit autem maxime uno crimine, quod, 4
cum apud eum summum esset imperium populi, et
Nicanorem, Cassandri praefectum, insidiari Piraeo
Atheniensium a Dercylo moneretur idemque postu-
laret ut provideret, ne commeatibus civitas privare-
tur, huic audiente populo Phocion negavit esse peri-
culum seque eius rei obsidem fore pollicitus est.
neque ita multo post Nicanor Piraeo est potitus. ad 5
quem recuperandum cum populus armatus concur-
risset, ille non modo neminem ad arma vocavit, sed
ne armatis quidem praeesse voluit. [sine quo Athenae
omnino esse non possunt.]

Erant eo tempore Athenis duae factiones, qua- 3
rum una populi causam agebat, altera optimatium.
in hac erat Phocion et Demetrius Phalereus. harum
utraque Macedonum patrociniis utebatur: nam po-
pulares Polyperchonti favebant, optimates cum Cas-
sandro sentiebant. interim a Polyperchonte Cas- 2
sandrus Macedonia pulsus est. quo facto populus
superior factus statim duces adversariae factionis ca-
pitis damnatos patria propulit, in his Phocionem et
Demetrium Phalereum, deque ea re legatos ad Po-
lyperchontem misit, qui ab eo peterent ut sua decreta
confirmaret. huc eodem profectus est Phocion. quo 3
ut venit, causam apud Philippum regem verbo, re
ipsa quidem apud Polyperchontem iussus est dicere:
namque is tum regis rebus praeerat. hic ab Agnone 4
accusatus, quod Piraeum Nicanori prodidisset, ex

consilii sententia in custodiam coniectus Athenas
deductus est, ut ibi de eo legibus fieret iudicium.
4 Huc ut perventum est, cum propter aetatem
pedibus iam non valeret vehiculoque portaretur,
magni concursus sunt facti, cum alii, reminiscentes
veteris famae, aetatis misererentur, plurimi vero ira
exacuerentur propter proditionis suspicionem Piraei
maximeque, quod adversus populi commoda in se-
2 nectute steterat. quare ne perorandi quidem ei data
est facultas et dicendi causam. inde iudicio, legi-
timis quibusdam confectis, damnatus, traditus est
undecimviris, quibus ad supplicium more Athenien-
3 sium publice damnati tradi solent. hic cum ad mor-
tem duceretur, obvius ei fuit Euphiletus, quo fa-
miliariter fuerat usus. is cum lacrimans dixisset
'o quam indigna perpeteris, Phocion!' huic ille 'at
non inopinata' inquit: 'hunc enim exitum plerique
4 clari viri habuerunt Athenienses.' in hoc tantum
fuit odium multitudinis, ut nemo ausus sit eum liber
sepelire. itaque a servis sepultus est.

XX. TIMOLEON.

1 Timoleon Corinthius. sine dubio magnus om-
nium iudicio hic vir exstitit. namque huic uni con-
tigit, quod nescio an nulli, ut et patriam, in qua
erat natus, oppressam a tyranno liberaret, et a Syra-
cusanis, quibus auxilio erat missus, iam inveteratam
servitutem depelleret totamque Siciliam, multos an-
nos bello vexatam a barbarisque oppressam, suo
2 adventu in pristinum restitueret. sed in his rebus
non simplici fortuna conflictatus est, et, id quod
difficilius putatur, multo sapientius tulit secundam
3 quam adversam fortunam. nam cum frater eius Ti-
mophanes, dux a Corinthiis delectus, tyrannidem per
milites mercennarios occupasset particepsque regni

posset esse, tantum afuit a societate sceleris, ut ante-
tulerit civium suorum libertatem fratris saluti et pa-
rere legibus quam imperare patriae satius duxerit.
hac mente per haruspicem communemque affinem, 4
cui soror ex eisdem parentibus nata nupta erat, fra-
trem tyrannum interficiundum curavit. ipse non
modo manus non attulit, sed ne aspicere quidem
fraternum sanguinem voluit. nam dum res con-
ficeretur, procul in praesidio fuit, ne quis satelles
posset succurrere. hoc praeclarissimum eius factum 5
non pari modo probatum est ab omnibus: nonnulli
enim laesam ab eo pietatem putabant et invidia lau-
dem virtutis obterebant. mater vero post id factum
neque domum ad se filium admisit neque aspexit,
quin eum fratricidam impiumque detestans compel-
laret. quibus rebus ille adeo est commotus, ut non- 6
numquam vitae finem facere voluerit atque ex in-
gratorum hominum conspectu morte decedere.

Interim Dione Syracusis interfecto Dionysius 2
rursus Syracusarum potitus est. cuius adversarii
opem a Corinthiis petierunt ducemque, quo in bello
uterentur, postularunt. huc Timoleon missus incre-
dibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit. cum 2
interficere posset, noluit, tutoque ut Corinthum per-
veniret effecit, quod utrorumque Dionysiorum opi-
bus Corinthii saepe adiuti fuerant, cuius benignitatis
memoriam volebat exstare, eamque praeclaram victo-
riam ducebat, in qua plus esset clementiae quam cru-
delitatis, postremo ut non solum auribus acciperetur,
sed etiam oculis cerneretur, quem et ex quanto regno
ad quam fortunam detulisset. post Dionysii deces- 3
sum cum Hiceta bellavit, qui adversatus erat Dio-
nysio: quem non odio tyrannidis dissensisse, sed
cupiditate indicio fuit, quod ipse expulso Dionysio
imperium dimittere noluit. hoc superato Timoleon 4
maximas copias Karthaginiensium apud Crinissum
flumen fugavit ac satis habere coegit, si liceret
Africam obtinere, qui iam complures annos posses-

6*

sionem Siciliae tenebant. cepit etiam Mamercum,
Italicum ducem, hominem bellicosum et potentem,
qui tyrannos adiutum in Siciliam venerat.

3 Quibus rebus confectis cum propter diuturnita-
tem belli non solum regiones, sed etiam urbes deser-
tas videret, conquisivit quos potuit, primum Siculos,
dein Corintho arcessivit colonos, quod ab iis initio
2 Syracusae erant conditae. civibus veteribus sua resti-
tuit, novis bello vacuefactas possessiones divisit, ur-
bium moenia disiecta fanaque deserta refecit, civita-
tibus leges libertatemque reddidit: ex maximo bello
tantum otium totae insulae conciliavit, ut hic con-
ditor urbium earum, non illi, qui initio deduxerant,
3 videretur. arcem Syracusis quam munierat Diony-
sius ad urbem obsidendam, a fundamentis disiecit,
cetera tyrannidis propugnacula demolitus est dedit-
que operam, ut quam minime multa vestigia ser-
4 vitutis manerent. cum tantis esset opibus, ut etiam
invitis imperare posset, tantum autem amorem ha-
beret omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum
obtinere, maluit se diligi quam metui. itaque, cum
primum potuit, imperium deposuit ac privatus Syra-
5 cusis, quod reliquum vitae fuit, vixit. neque vero
id imperite fecit: nam quod ceteri reges imperio
potuerunt, hic benevolentia tenuit. nullus honos
huic defuit, neque postea res ulla Syracusis gesta
est publice, de qua prius sit decretum quam Timo-
6 leontis sententia cognita. nullius umquam consilium
non modo antelatum, sed ne comparatum quidem
est. neque id magis eius benevolentia factum est
quam prudentia.

4 Hic cum aetate iam provectus esset, sine ullo
morbo lumina oculorum amisit. quam calamitatem
ita moderate tulit, ut neque eum querentem quis-
quam audierit, neque eo minus privatis publicisque
2 rebus interfuerit. veniebat autem in theatrum, cum
ibi concilium populi haberetur, propter valetudinem
vectus iumentis iunctis, atque ita de vehiculo quae

videbantur dicebat. neque hoc illi quisquam tribue-
bat superbiae: nihil enim umquam neque insolens
neque gloriosum ex ore eius exiit. qui quidem, cum 3
suas laudes audiret praedicari, numquam aliud dixit
quam se in ea re maxime diis agere gratias atque
habere, quod, cum Siciliam recreare constituissent,
tum se potissimum ducem esse voluissent: nihil 4
enim rerum humanarum sine deorum numine geri
putabat. itaque suae domi sacellum Automatias con-
stituerat idque sanctissime colebat.

Ad hanc hominis excellentem bonitatem mira- 5
biles accesserant casus. nam proelia maxima natali
suo die fecit omnia: quo factum est ut eius diem
natalem festum haberet universa Sicilia. huic qui- 2
dam Laphystius, homo petulans et ingratus, vadi-
monium cum vellet imponere, quod cum illo se lege
agere diceret, et complures concurrissent, qui pro-
cacitatem hominis manibus coercere conarentur, Ti-
moleon oravit omnes, ne id facerent. namque id
ut Laphystio et cuivis liceret, se maximos labores
summaque adisse pericula. hanc enim speciem liber-
tatis esse, si omnibus, quod quisque vellet, legibus
experiri liceret. idem, cum quidam Laphystii simi- 3
lis, nomine Demaenetus, in contione populi de re-
bus gestis eius detrahere coepisset ac nonnulla in-
veheretur in Timoleonta, dixit nunc demum se voti
esse damnatum: namque hoc a diis immortalibus
semper precatum, ut talem libertatem restitueret Sy-
racusanis, in qua cuivis liceret, de quo vellet, im-
pune dicere.

Hic cum diem supremum obisset, publice a Syra- 4
cusanis in gymnasio, quod Timoleonteum appellatur,
tota celebrante Sicilia sepultus est.

XXI. DE REGIBUS.

1 Hi fere fuerunt Graecae gentis duces, qui me-
moria digni videantur, praeter reges: namque eos
attingere noluimus, quod omnium res gestae sepa-
ratim sunt relatae. neque tamen ii admodum sunt
2 multi. Lacedaemonius autem Agesilaus nomine, non
potestate fuit rex, sicut ceteri Spartani. ex iis vero,
qui dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi
fuerunt, ut nos iudicamus, Persarum Cyrus et Da-
rius, Hystaspi filius: quorum uterque privatus vir-
tute regnum est adeptus. prior horum apud Massa-
getas in proelio cecidit, Darius senectute diem obiit
3 supremum. tres sunt praeterea eiusdem gentis: Xer-
xes et duo Artaxerxae, Macrochir cognomine et Mne-
mon. Xerxi maxime est illustre, quod maximis post
hominum memoriam exercitibus terra marique bellum
4 intulit Graeciae. at Macrochir praecipuam habet lau-
dem amplissimae pulcherrimaeque corporis formae,
quam incredibili ornavit virtute belli: namque illo
Perses nemo manu fuit fortior. Mnemon autem
iustitiae fama floruit. nam cum matris suae scelere
amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eum
5 pietas vinceret. ex his duo eodem nomine morbo
naturae debitum reddiderunt: tertius ab Artabano
praefecto ferro interemptus est.

2 Ex Macedonum autem gente duo multo cete-
ros antecesserunt rerum gestarum gloria: Philippus,
Amyntae filius, et Alexander Magnus. horum alter
Babylone morbo consumptus est, Philippus Aegiis
a Pausania, cum spectatum ludos iret, iuxta thea-
2 trum occisus est. unus Epirotes, Pyrrhus, qui cum
populo Romano bellavit. is cum Argos oppidum
oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit.
unus item Siculus, Dionysius prior. nam et manu
fortis et belli peritus fuit et, id quod in tyranno
non facile reperitur, minime libidinosus, non luxu-

riosus, non avarus, nullius denique rei cupidus nisi
singularis perpetuique imperii ob eamque rem cru-
delis: nam dum id studuit munire, nullius pepercit
vitae, quem eius insidiatorem putaret. hic cum vir- 3
tute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit feli-
citate: maior enim annos sexaginta natus decessit
florente regno. neque in tam multis annis cuius-
quam ex sua stirpe funus vidit, cum ex tribus uxo-
ribus liberos procreasset multique ei nati essent
nepotes.

Fuerunt praeterea magni reges ex amicis Ale- 3
xandri Magni, qui post obitum eius imperia cepe-
runt, in iis Antigonus et huius filius Demetrius,
Lysimachus, Seleucus, Ptolemaeus. ex his Antigo- 2
nus in proelio, cum adversus Seleucum et Lysima-
chum dimicaret, occisus est. pari leto adfectus est
Lysimachus ab Seleuco: namque societate dissoluta
bellum inter se gesserunt. at Demetrius, cum filiam 3
suam Seleuco in matrimonium dedisset neque eo
magis fida inter eos amicitia manere potuisset, captus
bello in custodia socer generi periit a morbo. ne- 4
que ita multo post Seleucus a Ptolemaeo Ceranno
dolo interfectus est, quem ille a patre expulsum
Alexandrea alienarum opum indigentem receperat.
ipse autem Ptolemaeus, cum vivus filio regnum tra-
didisset, ab illo eodem vita privatus dicitur.

De quibus quoniam satis dictum putamus, non 5
incommodum videtur non praeterire Hamilcarem et
Hannibalem, quos et animi magnitudine et callidi-
tate omnes in Africa natos praestitisse constat.

XXII. HAMILCAR.

Hamilcar, Hannibalis filius, cognomine Barca, 1
Karthaginiensis, primo Poenico bello, sed tempori-
bus extremis, admodum adulescentulus in Sicilia

2 praeesse coepit exercitui. cum ante eius adventum
et mari et terra male res gererentur Karthaginien-
sium, ipse, ubi adfuit, numquam hosti cessit neque
locum nocendi dedit, saepeque e contrario occasione
data lacessivit semperque superior discessit. quo
facto, cum paene omnia in Sicilia Poeni amisissent,
ille Erycem sic defendit, ut bellum eo loco gestum
3 non videretur. interim Karthaginienses classe apud
insulas Aegates a C. Lutatio, consule Romanorum,
superati, statuerunt belli facere finem eamque rem
arbitrio permiserunt Hamilcaris. ille, etsi flagrabat
bellandi cupiditate, tamen paci serviundum putavit,
quod patriam exhaustam sumptibus diutius calami-
4 tates belli ferre non posse intellegebat, sed ita, ut
statim mente agitaret, si paulum modo res essent
refectae, bellum renovare Romanosque armis perse-
qui, donicum aut virtute vicissent aut victi manus
5 dedissent. hoc consilio pacem conciliavit, in quo
tanta fuit ferocia, cum Catulus negaret bellum com-
positurum, nisi ille cum suis, qui Erycem tenuerant,
armis relictis Sicilia decederent, ut succumbente
patria ipse periturum se potius dixerit, quam cum
tanto flagitio domum rediret: non enim suae esse
virtutis arma a patria accepta adversus hostes adver-
sariis tradere. huius pertinaciae cessit Catulus.

2 At ille, ut Karthaginem venit, multo aliter, ac
sperarat, rem publicam se habentem cognovit. nam-
que diuturnitate externi mali tantum exarsit intesti-
num bellum, ut numquam in pari periculo fuerit Kar-
2 thago, nisi cum deleta est. primo mercennarii mili-
tes, quibus adversus Romanos usi erant, desciverunt:
quorum numerus erat viginti milium. hi totam
abalienarunt Africam, ipsam Karthaginem oppugna-
3 runt. quibus malis adeo sunt Poeni perterriti, ut
etiam auxilia ab Romanis petierint eaque impetra-
rint. sed extremo, cum prope iam ad desperatio-
nem pervenissent, Hamilcarem imperatorem fecerunt.
4 is non solum hostes a muris Karthaginis removit,

cum amplius centum milia facta essent armatorum,
sed etiam eo compulit, ut locorum angustiis clausi
plures fame quam ferro interirent. omnia oppida
abalienata, in his Uticam atque Hipponem, valen-
tissima totius Africae, restituit patriae. neque eo
fuit contentus, sed etiam fines imperii propagavit,
tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea
bellum videretur multis annis fuisse.

Rebus his ex sententia peractis fidenti animo 3
atque infesto Romanis, quo facilius causam bellandi
reperiret, effecit, ut imperator cum exercitu in Hi-
spaniam mitteretur, eoque secum duxit filium Hanni-
balem annorum novem. erat praeterea cum eo 2
adulescens illustris, formosus, Hasdrubal, quem non-
nulli diligi turpius, quam par erat, ab Hamilcare
loquebantur: non enim maledici tanto viro deesse
poterant. quo factum est ut a praefecto morum
Hasdrubal cum eo vetaretur esse. huic ille filiam
suam in matrimonium dedit, quod moribus eorum
non poterat interdici socero genero. de hoc ideo 3
mentionem fecimus, quod Hamilcare occiso ille exer-
citui praefuit resque magnas gessit, et princeps lar-
gitione vetustos pervertit mores Karthaginiensium,
eiusdemque post mortem Hannibal ab exercitu acce-
pit imperium.

At Hamilcar, posteaquam mare transiit in Hi- 4
spaniamque venit, magnas res secunda gessit fortuna:
maximas bellicosissimasque gentes subegit, equis,
armis, viris, pecunia totam locupletavit Africam.
hic cum in Italiam bellum inferre meditaretur, nono 2
anno postquam in Hispaniam venerat, in proelio
pugnans adversus Vettones occisus est. huius perpe- 3
tuum odium erga Romanos maxime concitasse vide-
tur secundum bellum Poenicum. namque Hannibal,
filius eius, assiduis patris obtestationibus eo est per-
ductus, ut interire quam Romanos non experiri
mallet.

XXIII. HANNIBAL.

1 Hannibal, Hamilcaris filius, Karthaginiensis. si
verum est, quod nemo dubitat, ut populus Romanus
omnes gentes virtute superarit, non est infitiandum
Hannibalem tanto praestitisse ceteros imperatores
prudentia, quanto populus Romanus antecedat forti-
2 tudine cunctas nationes. nam quotienscumque cum
eo congressus est in Italia, semper discessit superior.
quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus
esset, Romanos videtur superare potuisse. sed mul-
torum obtrectatio devicit unius virtutem.

3 Hic autem velut hereditate relictum odium pa-
ternum erga Romanos sic conservavit, ut prius ani-
mam quam id deposuerit, qui quidem, cum patria
pulsus esset et alienarum opum indigeret, numquam
2 destiterit animo bellare cum Romanis. nam ut omit-
tam Philippum, quem absens hostem reddidit Roma-
nis, omnium iis temporibus potentissimus rex An-
tiochus fuit. hunc tanta cupiditate incendit bellandi,
ut usque a rubro mari arma conatus sit inferre Ita-
2 liae. ad quem cum legati venissent Romani, qui
de eius voluntate explorarent darentque operam con-
siliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi
adducerent, tamquam ab ipsis corruptum alia atque
antea sentire, neque id frustra fecissent, idque Han-
nibal comperisset seque ab interioribus consiliis se-
3 gregari vidisset, tempore dato adiit ad regem, eique
cum multa de fide sua et odio in Romanos comme-
morasset, hoc adiunxit: 'pater meus', inquit, 'Ha-
milcar, puerulo me, utpote non amplius novem an-
nos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Kar-
thagine, Iovi optimo maximo hostias immolavit.
4 quae divina res dum conficiebatur, quaesivit a me
vellemne secum in castra proficisci. id cum libenter
accepissem atque ab eo petere coepissem ne dubitaret
ducere, tum ille, faciam, inquit, si mihi fidem, quam

postulo, dederis. simul me ad aram adduxit, apud
quam sacrificare instituerat, eamque ceteris remotis
tenentem iurare iussit, numquam me in amicitia cum
Romanis fore. id ego iusiurandum patri datum us- 5
que ad hanc aetatem ita conservavi, ut nemini du-
bium esse debeat, quin reliquo tempore eadem mente
sim futurus. quare si quid amice de Romanis cogi- 6
tabis, non imprudenter feceris, si me celaris: cum
quidem bellum parabis, te ipsum frustraberis, si
non me in eo principem posueris'.

Hac igitur qua diximus aetate cum patre in Hi- 3
spaniam profectus est: cuius post obitum, Hasdrubale
imperatore suffecto, equitatui omni praefuit. hoc
quoque interfecto exercitus summam imperii ad eum
detulit. id Karthaginem delatum publice compro-
batum est. sic Hannibal minor quinque et viginti 2
annis natus imperator factus proximo triennio omnes
gentes Hispaniae bello subegit: Saguntum, foedera-
tam civitatem, vi expugnavit, tres exercitus maximos
comparavit. ex his unum in Africam misit, alte- 3
rum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliquit, ter-
tium in Italiam secum duxit. saltum Pyrenaeum
transiit. quacumque iter fecit, cum omnibus incolis
conflixit: neminem nisi victum dimisit. ad Alpes 4
posteaquam venit, quae Italiam ab Gallia seiungunt,
quas nemo umquam cum exercitu ante eum praeter
Herculem Graium transierat (quo facto is hodie sal-
tus Graius appellatur), Alpicos conantes prohibere
transitu concidit, loca patefecit, itinera muniit, effecit
ut ea elephantus ornatus ire posset, qua antea unus
homo inermis vix poterat repere. hac copias tra-
duxit in Italiamque pervenit.

Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio 4
Scipione consule eumque pepulerat. cum hoc eodem
Clastidii apud Padum decernit sauciumque inde ac
fugatum dimittit. tertio idem Scipio cum collega 2
Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit.
cum iis manum conseruit: utrosque profligavit. inde

per Ligures Appenninum transiit, petens Etruriam.
3 hoc itinere adeo gravi morbo adficitur oculorum, ut postea numquam dextro aeque bene usus sit. qua valetudine cum etiamtum premeretur lecticaque ferretur, C. Flaminium consulem apud Trasumenum cum exercitu insidiis circumventum occidit, neque multo post C. Centenium praetorem cum delecta
4 manu saltus occupantem. hinc in Apuliam pervenit. ibi obviam ei venerunt duo consules, C. Terentius et L. Aemilius. utriusque exercitus uno proelio fugavit, Paulum consulem occidit et aliquot praeterea consulares, in iis Cn. Servilium Geminum, qui superiore anno fuerat consul.

5 Hac pugna pugnata Romam profectus est nullo resistente. in propinquis urbi montibus moratus est. cum aliquot ibi dies castra habuisset et Capuam reverteretur, Q. Fabius Maximus, dictator Romanus,
2 in agro Falerno ei se obiecit. hic clausus locorum angustiis noctu sine ullo detrimento exercitus se expedivit Fabioque, callidissimo imperatori, dedit verba. namque obducta nocte sarmenta in cornibus iuvencorum deligata incendit eiusque generis multitudinem magnam dispalatam immisit. quo repentino obiecto visu tantum terrorem iniecit exercitui Roma-
3 norum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minucium Rufum, magistrum equitum pari ac dictatorem imperio, dolo productum in proelium fugavit. Tiberium Sempronium Gracchum, iterum consulem, in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M. Claudium Marcellum, quinquies consulem, apud Ve-
4 nusiam pari modo interfecit. longum est omnia enumerare proelia. quare hoc unum satis erit dictum, ex quo intelligi possit, quantus ille fuerit: quamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit.

6 Hinc invictus patriam defensum revocatus bellum

gessit adversus P. Scipionem, filium eius Scipionis,
quem ipse primo apud Rhodanum, iterum apud Pa-
dum, tertio apud Trebiam fugarat. cum hoc ex- 2
haustis iam patriae facultatibus cupivit in praesentia-
rum bellum componere, quo valentior postea con-
grederetur. in colloquium convenit: condiciones non
convenerunt. post id factum paucis diebus apud 3
Zamam cum eodem conflixit: pulsus (incredibile dictu)
biduo et duabus noctibus Hadrumetum pervenit, quod
abest ab Zama circiter milia passuum trecenta. in 4
hac fuga Numidae, qui simul cum eo ex acie ex-
cesserant, insidiati sunt ei: quos non solum effugit,
sed etiam ipsos oppressit. Hadrumeti reliquos e
fuga collegit: novis dilectibus paucis diebus multos
contraxit.

Cum in apparando acerrime esset occupatus, 7
Karthaginienses bellum cum Romanis composuerunt.
ille nihilo secius exercitui postea praefuit resque in
Africa gessit [itemque Mago frater eius] usque ad
P. Sulpicium C. Aurelium consules. his enim ma- 2
gistratibus legati Karthaginienses Romam venerunt,
qui senatui populoque Romano gratias agerent, quod
cum iis pacem fecissent, ob eamque rem corona
aurea eos donarent simulque peterent, ut obsides
eorum Fregellis essent captivique redderentur. his 3
ex senatus consulto responsum est: munus eorum
gratum acceptumque esse; obsides, quo loco roga-
rent, futuros, captivos non remissuros, quod Han-
nibalem, cuius opera susceptum bellum foret, inimi-
cissimum nomini Romano, etiam nunc cum imperio
apud exercitum haberent itemque fratrem eius Ma-
gonem. hoc responso Karthaginienses cognito Han- 4
nibalem domum et Magonem revocarunt. huc ut
rediit, rex factus est, postquam praetor fuerat, anno
secundo et vicesimo: ut enim Romae consules, sic
Karthagine quotannis annui bini reges creabantur.
in eo magistratu pari diligentia se Hannibal prae- 5
buit, ac fuerat in bello. namque effecit, ex novis

vectigalibus non solum ut esset pecunia, quae Ro-
manis ex foedere penderetur, sed etiam superesset,
6 quae in aerario reponeretur. deinde anno post [prae-
turam], M. Claudio L. Furio consulibus, Roma legati
Karthaginem venerunt. hos Hannibal ratus sui ex-
poscendi gratia missos, priusquam iis senatus dare-
tur, navem ascendit clam atque in Syriam ad An-
7 tiochum profugit. hac re palam facta Poeni naves
duas, quae eum comprehenderent, si possent con-
sequi, miserunt: bona eius publicarunt, domum a
fundamentis disiecerunt, ipsum exulem iudicarunt.

8 At Hannibal anno tertio, postquam domo pro-
fugerat, L. Cornelio Q. Minucio consulibus, cum
quinque navibus Africam accessit in finibus Cyre-
naeorum, si forte Karthaginienses ad bellum An-
tiochi spe fiduciaque inducerentur, cui iam persuase-
rat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur.
2 huc Magonem fratrem excivit. id ubi Poeni rescive-
runt, Magonem eadem, qua fratrem, absentem adfe-
cerunt poena. illi desperatis rebus cum solvissent
naves ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antio-
chum pervenit. de Magonis interitu duplex memoria
prodita est: namque alii naufragio, alii a servulis
3 ipsius interfectum eum scriptum reliquerunt. An-
tiochus autem, si tam in gerendo bello consiliis
eius parere voluisset, quam in suscipiendo instituerat,
propius Tiberi quam Thermopylis de summa imperii
dimicasset. quem etsi multa stulte conari videbat,
4 tamen nulla deseruit in re. praefuit paucis navibus,
quas ex Syria iussus erat in Asiam ducere, iisque
adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari con-
flixit. quo cum multitudine adversariorum sui supe-
rarentur, ipse, quo cornu rem gessit, fuit superior.

9 Antiocho fugato, verens ne dederetur, quod sine
dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam
ad Gortynios venit, ut ibi, quo se conferret, con-
2 sideraret. vidit autem vir omnium callidissimus in
magno se fore periculo, nisi quid providisset, propter

avaritiam Cretensium: magnam enim secum pecuniam portabat, de qua sciebat exisse famam. itaque 3
capit tale consilium. amphoras complures complet plumbo, summas operit auro et argento. has praesentibus principibus deponit in templo Dianae, simulans se suas fortunas illorum fidei credere. his in errorem inductis, statuas aëneas, quas secum portabat, omni sua pecunia complet easque in propatulo domi abiicit. Gortynii templum magna cura custo- 4
diunt, non tam a ceteris quam ab Hannibale, ne ille inscientibus iis tolleret secumque duceret.

Sic conservatis suis rebus Poenus, illusis Cre- 10
tensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit. apud quem eodem animo fuit erga Italiam, neque aliud quidquam egit quam regem armavit et exercuit adversus Romanos. quem cum videret domesticis opi- 2
bus minus esse robustum, conciliabat ceteros reges, adiungebat bellicosas nationes. dissidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellumque inter eos gerebatur et mari et terra: quo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. sed utrobi- 3
que Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem: quem si removisset, faciliora sibi cetera fore arbitrabatur. ad hunc interficiundum talem iniit rationem. classe paucis diebus erant decreturi. supe- 4
rabatur navium multitudine: dolo erat pugnandum, cum par non esset armis. imperavit quam plurimas venenatas serpentes vivas colligi easque in vasa fictilia coniici. harum cum effecisset magnam multi- 5
tudinem, die ipso, quo facturus erat navale proelium, classiarios convocat iisque praecipit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, a ceteris tantum satis habeant se defendere. id illos facile serpentium multitudine consecuturos. rex autem in 6
qua nave veheretur, ut scirent, se facturum: quem si aut cepissent aut interfecissent, magno iis pollicetur praemio fore. tali cohortatione militum facta 11
classis ab utrisque in proelium deducitur. quarum

acie constituta, priusquam signum pugnae daretur,
Hannibal, ut palam faceret suis, quo loco Eumenes
2 esset, tabellarium in scapha cum caduceo mittit. qui
ubi ad naves adversariorum pervenit epistolamque
ostendens se regem professus est quaerere, statim
ad Eumenem deductus est, quod nemo dubitabat,
quin aliquid de pace esset scriptum. tabellarius ducis
nave declarata suis eodem, unde erat egressus, se
3 recepit. at Eumenes soluta epistola nihil in ea rep-
perit, nisi quae ad irridendum eum pertinerent.
cuius etsi causam mirabatur neque reperiebat, tamen
4 proelium statim committere non dubitavit. horum
in concursu Bithynii Hannibalis praecepto universi
navem Eumenis adoriuntur. quorum vim rex cum
sustinere non posset, fuga salutem petit: quam con-
secutus non esset, nisi intra sua praesidia se rece-
5 pisset, quae in proximo litore erant collocata. reli-
quae Pergamenae naves cum adversarios premerent
acrius, repente in eas vasa fictilia, de quibus supra
mentionem fecimus, coniici coepta sunt. quae iacta
initio risum pugnantibus concitarunt, neque quare
6 id fieret poterat intellegi. postquam autem naves
suas oppletas conspexerunt serpentibus, nova re per-
territi, cum, quid potissimum vitarent, non viderent,
puppes verterunt seque ad sua castra nautica rettu-
7 lerunt. sic Hannibal consilio arma Pergamenorum
superavit, neque tum solum, sed saepe alias pede-
stribus copiis pari prudentia pepulit adversarios.
12 Quae dum in Asia geruntur, accidit casu ut le-
gati Prusiae Romae apud T. Quintium Flamininum
consularem cenarent, atque ibi de Hannibale men-
tione facta ex iis unus diceret eum in Prusiae regno
2 esse. id postero die Flamininus senatui detulit.
patres conscripti, qui Hannibale vivo numquam se
sine insidiis futuros existimarent, legatos in Bithy-
niam miserunt, in iis Flamininum, qui ab rege pe-
terent, ne inimicissimum suum secum haberet sibi-
3 que dederet. his Prusia negare ausus non est: illud

recusavit, ne id a se fieri postularent, quod adversus ius hospitii esset: ipsi, si possent, comprehenderent: locum, ubi esset, facile inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, quod ei a rege datum erat muneri, idque sic aedificarat, ut in omnibus partibus aedificii exitus haberet, scilicet verens ne usu veniret, quod accidit. huc cum legati Romano- 4
rum venissent ac multitudine domum eius circumdedissent, puer ab ianua prospiciens Hannibali dixit plures praeter consuetudinem armatos apparere. qui imperavit ei, ut omnes fores aedificii circumiret ac propere sibi nuntiaret, num eodem modo undique obsideretur. puer cum celeriter, quid esset, renun- 5
tiasset omnesque exitus occupatos ostendisset, sensit id non fortuito factum, sed se peti neque sibi diutius vitam esse retinendam. quam ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum venenum, quod semper secum habere consuerat, sumpsit.

Sic vir fortissimus, multis variisque perfunctus 13
laboribus, anno acquievit septuagesimo. quibus consulibus interierit, non convenit. namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone consulibus mortuum in annali suo scriptum reliquit, at Polybius L. Aemilio Paulo Cn. Baebio Tamphilo, Sulpicius autem Blitho P. Cornelio Cethego M. Baebio Tamphilo. atque hic tantus vir tantisque bellis 2
districtus nonnihil temporis tribuit litteris. namque aliquot eius libri sunt, Graeco sermone confecti, in iis ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis. huius belli gesta multi memoriae pro- 3
diderunt, sed ex his duo, qui cum eo in castris fuerunt simulque vixerunt, quamdiu fortuna passa est, Silenus et Sosilus Lacedaemonius. atque hoc Sosilo Hannibal litterarum Graecarum usus est doctore.

Sed nos tempus est huius libri facere finem et 4
Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit iudicari.

EX LIBRO

CORNELII NEPOTIS

DE LATINIS HISTORICIS.

XXIV. CATO.

1 M. Cato, ortus municipio Tusculo, adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. inde hortatu L. Valerii Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna censorius narrare solitus est, Romam demigravit in
2 foroque esse coepit. primum stipendium meruit annorum decem septemque. Q. Fabio M. Claudio consulibus tribunus militum in Sicilia fuit. inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis, magnique opera eius existimata est in proelio apud Senam,
3 quo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. quaestor obtigit P. Africano consuli, cum quo non pro sortis necessitudine vixit: namque ab eo perpetua dissensit
4 vita. aedilis plebi factus est cum C. Helvio. praetor provinciam obtinuit Sardiniam, ex qua quaestor superiore tempore ex Africa decedens Q. Ennium poetam deduxerat, quod non minoris aestimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum.

2 Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exque ea

triumphum deportavit. ibi cum diutius moraretur, 2
P. Scipio Africanus consul iterum, cuius in priori
consulatu quaestor fuerat, voluit eum de provincia
depellere et ipse ei succedere, neque hoc per senatum efficere potuit, cum quidem Scipio principatum
in civitate obtineret, quod tum non potentia, sed
iure res publica administrabatur. qua ex re iratus
senatui, consulatu peracto privatus in urbe mansit.
at Cato, censor cum eodem Flacco factus, severe 3
praefuit ei potestati. nam et in complures nobiles
animadvertit et multas res novas in edictum addidit,
qua re luxuria reprimeretur, quae iam tum incipiebat pullulare. circiter annos octoginta, usque ad 4
extremam aetatem ab adulescentia, rei publicae causa
suscipere inimicitias non destitit. a multis tentatus
non modo nullum detrimentum existimationis fecit,
sed, quoad vixit, virtutum laude crevit.

In omnibus rebus singulari fuit industria: nam 3
et agricola sollers et peritus iuris consultus et magnus
imperator et probabilis orator et cupidissimus litterarum fuit. quarum studium etsi senior arripuerat, 2
tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus,
quod ei fuerit incognitum. ab adulescentia confecit 3
orationes. senex historias scribere instituit. earum
sunt libri septem. primus continet res gestas regum
populi Romani, secundus et tertius unde quaeque
civitas orta sit Italica, ob quam rem omnes Origines videtur appellasse. in quarto autem bellum
Poenicum est primum, in quinto secundum: atque
haec omnia capitulatim sunt dicta. reliqua quoque 4
bella pari modo persecutus est usque ad praeturam
Servii Galbae, qui diripuit Lusitanos: atque horum
bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus
res notavit. in eisdem exposuit, quae in Italia Hispaniisque aut fierent aut viderentur admiranda: in
quibus multa industria et diligentia comparet, nulla
doctrina.

5 Huius de vita et moribus plura in eo libro per-
secuti sumus, quem separatim de eo fecimus rogatu
T. Pomponii Attici. quare studiosos Catonis ad illud
volumen delegamus.

XXV. ATTICUS.

1 T. Pomponius Atticus, ab origine ultima stir-
pis Romanae generatus, perpetuo a maioribus ac-
2 ceptam equestrem obtinuit dignitatem. patre usus
est diligente et, ut tum erant tempora, diti in pri-
misque studioso litterarum. hic, prout ipse amabat
litteras, omnibus doctrinis, quibus puerilis aetas im-
3 pertiri debet, filium erudivit. erat autem in puero
praeter docilitatem ingenii summa suavitas oris atque
vocis, ut non solum celeriter acciperet quae trade-
bantur, sed etiam excellenter pronuntiaret. qua ex
re in pueritia nobilis inter aequales ferebatur cla-
riusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli
4 animo aequo ferre possent. itaque incitabat omnes
studio suo, quo in numero fuerunt L. Torquatus,
C. Marius filius, M. Cicero: quos consuetudine sua
sic devinxit, ut nemo iis perpetuo fuerit carior.
2 Pater mature decessit. ipse adulescentulus prop-
ter adfinitatem P. Sulpicii, qui tribunus pl. inter-
fectus est, non expers fuit illius periculi: namque
Anicia, Pomponii consobrina, nupserat Servio, fratri
2 Sulpicii. itaque interfecto Sulpicio posteaquam vidit
Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam neque
sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin al-
terutram partem offenderet, dissociatis animis civium,
cum alii Sullanis, alii Cinnanis faverent partibus,
idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis Athe-
nas se contulit. neque eo secius adulescentem Ma-
rium hostem iudicatum iuvit opibus suis, cuius
3 fugam pecunia sublevavit. ac ne illa peregrinatio

detrimentum aliquod adferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum traiecit suarum. hic ita vixit, ut universis Atheniensibus merito esset carissimus. nam praeter gratiam, quae iam in adu- 4
lescentulo magna erat, saepe suis opibus inopiam eorum publicam levavit. cum enim versuram facere publice necesse esset neque eius condicionem aequam haberent, semper se interposuit, atque ita, ut neque usuram umquam ab iis acceperit neque longius, quam dictum esset, debere passus sit. quod utrum- 5
que erat iis salutare: nam neque indulgendo inveterascere eorum aes alienum patiebatur neque multiplicandis usuris crescere. auxit hoc officium alia 6
quoque liberalitate: nam universos frumento donavit, ita ut singulis seni modii tritici darentur: qui modus mensurae medimnus Athenis appellatur.

Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, 3
par principibus videretur. quo factum est ut huic omnes honores, quos possent, publice haberent civemque facere studerent: quo beneficio ille uti noluit [quod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia ascita]. quamdiu adfuit, ne qua sibi 2
statua poneretur, restitit, absens prohibere non potuit. itaque aliquot ipsi et Phidiae locis sanctissimis posuerunt: hunc enim in omni procuratione rei publicae actorem auctoremque habebant. igitur pri- 3
mum illud munus fortunae, quod in ea potissimum urbe natus est, in qua domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem et patriam haberet et domum: hoc specimen prudentiae, quod, cum in eam se civitatem contulisset, quae antiquitate, humanitate doctrinaque praestaret omnes, unus ei fuit carissimus.

Huc ex Asia Sulla decedens cum venisset, quam- 4
diu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adulescentis et humanitate et doctrina. sic enim Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur: tanta autem suavitas erat sermonis Latini, ut appareret in eo

nativum quendam leporem esse, non ascitum. idem
poemata pronuntiabat et Graece et Latine sic, ut
2 supra nihil posset addi. quibus rebus factum est ut
Sulla nusquam eum ab se dimitteret cuperetque se-
cum deducere. qui cum persuadere tentaret, 'noli,
oro te' inquit Pomponius 'adversum eos me velle
ducere, cum quibus ne contra te arma ferrem, Ita-
liam reliqui.' at Sulla adulescentis officio collaudato
omnia munera ei, quae Athenis acceperat, pro-
ficiscens iussit deferri.

3 Hic complures annos moratus, cum et rei fami-
liari tantum operae daret, quantum non indiligens
deberet pater familias, et omnia reliqua tempora aut
litteris aut Atheniensium rei publicae tribueret, nihilo
4 minus amicis urbana officia praestitit. nam et ad
comitia eorum ventitavit et, si qua res maior acta
est, non defuit. sicut Ciceroni in omnibus eius peri-
culis singularem fidem praebuit: cui ex patria fugienti
sestertium ducenta et quinquaginta milia donavit.
5 tranquillatis autem rebus Romanis remigravit Ro-
mam, ut opinor L. Cotta L. Torquato consulibus:
quem discedentem sic universa civitas Atheniensium
prosecuta est, ut lacrimis desiderii futuri dolorem
indicaret.

5 Habebat avunculum Q. Caecilium, equitem Ro-
manum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima
natura: cuius sic asperitatem veritus est, ut, quem
nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam
senectutem retinuerit benevolentiam. quo facto tulit
2 pietatis fructum. Caecilius enim moriens testamento
adoptavit eum heredemque fecit ex dodrante: ex qua
3 hereditate accepit circiter centies sestertium. erat
nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni, easque nuptias
M. Cicero conciliarat, cum quo a condiscipulatu vi-
vebat coniunctissime, multo etiam familiarius quam
cum Quinto, ut iudicari possit plus in amicitia va-
4 lere similitudinem morum quam affinitatem. uteba-
tur autem intime Q. Hortensio, qui iis temporibus

principatum eloquentiae tenebat, ut intellegi non
posset, uter eum plus diligeret, Cicero an Horten-
sius: et id, quod erat difficillimum, efficiebat, ut,
inter quos tanta laudis esset aemulatio, nulla inter-
cederet obtrectatio essetque talium virorum copula.

In re publica ita est versatus, ut semper opti- 6
marum partium et esset et existimaretur, neque ta-
men se civilibus fluctibus committeret, quod non
magis eos in sua potestate existimabat esse, qui se
his dedissent, quam qui maritimis iactarentur. ho- 2
nores non petiit, cum ei paterent propter vel gra-
tiam vel dignitatem: quod neque peti more maiorum
neque capi possent conservatis legibus in tam effusi
ambitus largitionibus neque geri e re publica sine
periculo corruptis civitatis moribus. ad hastam publi- 3
cam numquam accessit. nullius rei neque praes
neque manceps factus est. neminem neque suo no-
mine neque subscribens accusavit: in ius de sua re
numquam iit: iudicium nullum habuit. multorum 4
consulum praetorumque praefecturas delatas sic ac-
cepit, ut neminem in provinciam sit secutus, honore
fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum:
qui ne cum Quinto quidem Cicerone voluerit ire in
Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset.
non enim decere se arbitrabatur, cum praeturam
gerere noluisset, asseclam esse praetoris. qua in re 5
non solum dignitati serviebat, sed etiam tranquilli-
tati, cum suspiciones quoque vitaret criminum. quo
fiebat ut eius observantia omnibus esset carior, cum
eam officio, non timori neque spei tribui viderent.

Incidit Caesarianum civile bellum, cum haberet 7
annos circiter sexaginta. usus est aetatis vacatione
neque se quoquam movit ex urbe. quae amicis
suis opus fuerant ad Pompeium proficiscentibus, om-
nia ex sua re familiari dedit: ipsum Pompeium
coniunctum non offendit. nullum ab eo habebat 2
ornamentum, ut ceteri, qui per eum aut honores
aut divitias ceperant: quorum partim invitissimi

castra sunt secuti, partim summa cum eius offensione
3 domi remanserunt. Attici autem quies tanto opere
Caesari fuit grata, ut victor, cum privatis pecunias
per epistolas imperaret, huic non solum molestus
non fuerit, sed etiam sororis filium et Q. Cicero-
nem ex Pompeii castris concesserit. sic vetere in-
stituto vitae effugit nova pericula.
8 Secutum est illud tempus occiso Caesare, quo
res publica penes Brutos videretur esse et Cassium,
2 ac tota civitas se ad eos convertisse [videretur]. sic
M. Bruto usus est, ut nullo ille adulescens aequali
familiarius quam hoc sene, neque solum eum prin-
3 cipem consilii haberet, sed etiam in convictu. ex-
cogitatum est a quibusdam, ut privatum aerarium
Caesaris interfectoribus ab equitibus Romanis con-
stitueretur. id facile effici posse arbitrati sunt, si
principes eius ordinis pecunias contulissent. itaque
appellatus est a C. Flavio, Bruti familiari, Atticus,
4 ut eius rei princeps esse vellet. at ille, qui officia
amicis praestanda sine factione existimaret semper-
que a talibus se consiliis removisset, respondit: si
quid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usu
rum, quantum eae paterentur, sed neque cum quo-
quam de ea re collocuturum neque coiturum. sic ille
consensionis globus huius unius dissensione disiectus
5 est. neque multo post superior esse coepit Antonius,
ita ut Brutus et Cassius omissa cura provinciarum,
quae iis dicis causa datae erant a consule, desperatis
6 rebus in exilium proficiscerentur. Atticus, qui pecu-
niam simul cum ceteris conferre noluerat florenti
illi parti, abiecto Bruto Italiaque cedenti sestertium
centum milia muneri misit. eidem in Epiro absens
trecenta iussit dari, neque eo magis potenti adu-
latus est Antonio neque desperatos reliquit.
9 Secutum est bellum gestum apud Mutinam. in
quo si tantum eum prudentem dicam, minus, quam
debeam, praedicem, cum ille potius divinus fuerit,
si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas,

quae nullis casibus agitatur neque minuitur. hostis 2
Antonius iudicatus Italia cesserat: spes restituendi
nulla erat. non solum inimici, qui tum erant poten-
tissimi et plurimi, sed etiam qui adversariis eius se
dabant et in eo laedendo aliquam consecuturos spe-
rabant commoditatem, Antonii familiares inseque-
bantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare
cupiebant, liberos etiam exstinguere parabant. Atti- 3
cus, cum Ciceronis intima familiaritate uteretur, ami-
cissimus esset Bruto, non modo nihil iis indulsit ad
Antonium violandum, sed e contrario familiares eius
ex urbe profugientes, quantum potuit, texit, quibus
rebus indiguerunt, adiuvit. Publio vero Volumnio 4
ea tribuit, ut plura a parente proficisci non po-
tuerint. ipsi autem Fulviae, cum litibus distine-
retur magnisque terroribus vexaretur, tanta diligentia
officium suum praestitit, ut nullum illa stiterit va-
dimonium sine Attico, sponsor omnium rerum fuerit.
quin etiam, cum illa fundum secunda fortuna emis- 5
set in diem neque post calamitatem versuram facere
potuisset, ille se interposuit pecuniamque sine faenore
sineque ulla stipulatione credidit, maximum existi-
mans quaestum, memorem gratumque cognosci, si-
mulque aperiens se non fortunae, sed hominibus so-
lere esse amicum. quae cum faciebat, nemo eum 6
temporis causa facere poterat existimare: nemini
enim in opinionem veniebat Antonium rerum poti-
turum. sed sensus eius a nonnullis optimatibus 7
reprehendebatur, quod parum odisse malos cives
videretur. ille autem sui iudicii, potius quid se fa-
cere par esset intuebatur, quam quid alii laudaturi
forent.

Conversa subito fortuna est. ut Antonius rediit 10
in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum
putarat propter intimam familiaritatem Ciceronis et
Bruti. itaque ad adventum imperatorum de foro 2
decesserat, timens proscriptionem, latebatque apud
P. Volumnium, cui, ut ostendimus, paulo ante opem

tulerat (tanta varietas iis temporibus fuit fortunae,
ut modo hi, modo illi in summo essent aut fastigio
aut periculo), habebatque secum Q. Gellium Canum,
3 aequalem simillimumque sui. hoc quoque est Attici
bonitatis exemplum, quod cum eo, quem puerum in
ludo cognorat, adeo coniuncte vixit, ut ad extremam
4 aetatem amicitia eorum creverit. Antonius autem,
etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non so-
lum ei, sed etiam omnibus eius amicis esset inimi-
cus eosque vellet proscribere, multis hortantibus ta-
men Attici memor fuit officii et ei, cum requisisset,
ubinam esset, sua manu scripsit, ne timeret statim-
que ad se veniret: se eum et illius causa Canum
de proscriptorum numero exemisse. ac ne quod
periculum incideret, quod noctu fiebat, praesidium
5 ei misit. sic Atticus in summo timore non solum
sibi, sed etiam ei, quem carissimum habebat, prae-
sidio fuit. neque enim suae solum a quoquam auxi-
lium petiit salutis [sed coniuncti], ut appareret nul-
6 lam seiunctam sibi ab eo velle fortunam. quodsi
gubernator praecipua laude fertur, qui navem ex
hieme marique scopuloso servat, cur non singularis
eius existimetur prudentia, qui ex tot tamque gra-
vibus procellis civilibus ad incolumitatem pervenit?

11 Quibus ex malis ut se emersit, nihil aliud egit
quam ut quam plurimis, quibus rebus posset, esset
auxilio. cum proscriptos praemiis imperatorum vul-
gus conquireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla
defuerit: nemini non ibi perpetuo manendi potestas
2 facta est: quin etiam post proelium Philippense in-
teritumque C. Cassii et M. Bruti L. Iulium Mocil-
lam praetorium et filium eius Aulumque Torquatum
ceterosque pari fortuna perculsos instituit tueri at-
que ex Epiro iis omnia Samothraciam supportari
3 iussit. difficile est omnia persequi et non necessa-
rium. illud unum intellegi volumus, illius liberali-
4 tatem neque temporariam neque callidam fuisse. id
ex ipsis rebus ac temporibus iudicari potest, quod

non florentibus se venditavit, sed adflictis semper
succurrit: qui quidem Serviliam, Bruti matrem, non
minus post mortem eius quam florentem coluerit.
sic liberalitate utens nullas inimicitias gessit, quod 5
neque laedebat quemquam neque, si quam iniuriam
acceperat, non malebat oblivisci quam ulcisci. idem
immortali memoria percepta retinebat beneficia: quae
autem ipse tribuerat, tam diu meminerat, quoad ille
gratus erat, qui acceperat. itaque hic fecit, ut vere 6
dictum videatur:

Sui cuique mores fingunt fortunam hominibus.

neque tamen ille prius fortunam quam se ipse finxit,
qui cavit, ne qua in re iure plecteretur.

His igitur rebus effecit ut M. Vipsanius Agrippa, 12
intima familiaritate coniunctus adulescenti Caesari,
cum propter suam gratiam et Caesaris potentiam
nullius condicionis non haberet potestatem, potissi-
mum eius deligeret affinitatem praeoptaretque equitis
Romani filiam generosarum nuptiis. atque harum 2
nuptiarum conciliator fuit (non est enim celandum)
M. Antonius, triumvirum rei publicae constituendae.
cuius gratia cum augere possessiones posset suas,
tantum afuit a cupiditate pecuniae, ut nulla in re
usus sit ea nisi in deprecandis amicorum aut peri-
culis aut incommodis. quod quidem sub ipsa pro- 3
scriptione perillustre fuit. nam cum L. Saufei equi-
tis Romani, aequalis sui, qui complures annos stu-
dio ductus philosophiae habitabat Athenis habebatque
in Italia pretiosas possessiones, triumviri bona ven-
didissent consuetudine ea, qua tum res gerebantur,
Attici labore atque industria factum est, ut eodem
nuntio Saufeius fieret certior se patrimonium ami-
sisse et recuperasse. idem L. Iulium Calidum, quem 4
post Lucretii Catullique mortem multo elegantissi-
mum poetam nostram tulisse aetatem vere videor
posse contendere, neque minus virum bonum opti-
misque artibus eruditum, post proscriptionem equi-

tum propter magnas eius Africanas possessiones in
proscriptorum numerum a P. Volumnio, praefecto
5 fabrum Antonii, absentem relatum expedivit. quod
in praesenti utrum ei laboriosius an gloriosius fuerit,
difficile est iudicare; quod in eorum periculis non
secus absentes quam praesentes amicos Attico esse
curae cognitum est.

13 Neque vero ille minus bonus pater familias
habitus est quam civis. nam cum esset pecuniosus,
nemo illo minus fuit emax, minus aedificator. neque
tamen non in primis bene habitavit omnibusque
2 optimis rebus usus est. nam domum habuit in colle
Quirinali Tamphilianam, ab avunculo hereditate re-
lictam, cuius amoenitas non aedificio, sed silva con-
stabat: ipsum enim tectum antiquitus constitutum
plus salis quam sumptus habebat: in quo nihil com-
3 mutavit, nisi si quid vetustate coactus est. usus est
familia, si utilitate iudicandum est, optima, si forma,
vix mediocri. namque in ea erant pueri litteratis-
simi, anagnostae optimi et plurimi librarii, ut ne
pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrum-
que horum pulchre facere posset, pari modo artifices
ceteri, quos cultus domesticus desiderat, adprime
4 boni. neque tamen horum quemquam nisi domi na-
tum domique factum habuit: quod est signum non
solum continentiae, sed etiam diligentiae. nam et
non intemperanter concupiscere, quod a plurimis vi-
deas, continentis debet duci, et potius diligentia
quam pretio parare non mediocris est industriae.
5 elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus:
omnisque diligentia munditiam, non affluentiam ad-
fectabat. supellex modica, non multa, ut in neu-
6 tram partem conspici posset. nec praeteribo, quam-
quam nonnullis leve visum iri putem, cum in primis
lautus esset eques Romanus et non parum liberaliter
domum suam omnium ordinum homines invitaret,
non amplius quam terna milia peraeque in singulos
menses ex ephemeride eum expensum sumptui ferre

solitum. atque hoc non auditum, sed cognitum prae- 7
dicamus: saepe enim propter familiaritatem domesti-
cis rebus interfuimus.

Nemo in convivio eius aliud acroama audivit 14
quam anagnosten, quod nos quidem iucundissimum
arbitramur: neque umquam sine aliqua lectione apud
eum cenatum est, ut non minus animo quam ventre
convivae delectarentur: namque eos vocabat, quorum 2
mores a suis non abhorrerent. cum tanta pecuniae
facta esset accessio, nihil de cotidiano cultu mutavit,
nihil de vitae consuetudine, tantaque usus est mode-
ratione, ut neque in sestertio vicies, quod a patre
acceperat, parum se splendide gesserit neque in
sestertio centies affluentius vixerit, quam instituerat,
parique fastigio steterit in utraque fortuna. nullos 3
habuit hortos, nullam suburbanam aut maritimam
sumptuosam villam, neque in Italia praeter Arreti-
num et Nomentanum rusticum praedium, omnisque
eius pecuniae reditus constabat in Epiroticis et ur-
banis possessionibus. ex quo cognosci potest usum
eum pecuniae non magnitudine, sed ratione metiri
solitum.

Mendacium neque dicebat neque pati poterat. 15
itaque eius comitas non sine severitate erat neque
gravitas sine facilitate, ut difficile esset intellectu,
utrum eum amici magis vererentur an amarent.
quidquid rogabatur, religiose promittebat, quod non
liberalis, sed levis arbitrabatur polliceri quod prae-
stare non posset. idem in tuendo, quod semel ad- 2
nuisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam
rem videretur agere. numquam suscepti negotii eum
pertaesum est: suam enim existimationem in ea re
agi putabat, qua nihil habebat carius. quo fiebat 3
ut omnia Ciceronum, M. Catonis, Q. Hortensii,
A. Torquati, multorum praeterea equitum Romano-
rum negotia procuraret. ex quo iudicari poterat
non inertia, sed iudicio fugisse rei publicae procu-
rationem.

16 Humanitatis vero nullum adferre maius testimo-
nium possum, quam quod adulescens idem seni Sullae
fuit iucundissimus, senex adulescenti M. Bruto, cum
aequalibus autem suis Q. Hortensio et M. Cicerone
sic vixit, ut iudicare difficile sit, cui aetati fuerit
2 aptissimus. quamquam eum praecipue dilexit Cicero,
ut ne frater quidem ei Quintus carior fuerit aut fa-
3 miliarior. ei rei sunt indicio praeter eos libros, in
quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus sunt
editi, sedecim volumina epistolarum, ab consulatu
eius usque ad extremum tempus ad Atticum missa-
rum: quae qui legat, non multum desiderabit histo-
4 riam contextam eorum temporum. sic enim omnia
de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei
publicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appa-
reat et facile existimari possit, prudentiam quodam
modo esse divinationem. non enim Cicero ea so-
lum, quae vivo se acciderunt, futura praedixit, sed
etiam, quae nunc usu veniunt, cecinit ut vates.

17 De pietate autem Attici quid plura commemo-
rem? cum hoc ipsum vere gloriantem audierim in
funere matris suae, quam extulit annorum nonaginta,
cum ipse esset septem et sexaginta, se numquam
cum matre in gratiam redisse, numquam cum so-
rore fuisse in simultate, quam prope aequalem ha-
2 bebat. quod est signum aut nullam umquam inter
eos querimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in
suos indulgentia, ut, quos amare deberet, irasci eis
3 nefas duceret. neque id fecit natura solum, quam-
quam omnes ei paremus, sed etiam doctrina: nam
principum philosophorum ita percepta habuit prae-
cepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentatio-
nem uteretur.

18 Moris etiam maiorum summus imitator fuit anti-
quitatisque amator: quam adeo diligenter habuit
cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit,
2 quo magistratus ordinavit. nulla enim lex neque
pax neque bellum neque res illustris est populi Ro-

mani, quae non in eo suo tempore sit notata, et,
quod difficillimum fuit, sic familiarum originem
subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines
possimus cognoscere. fecit hoc idem separatim in 3
aliis libris, ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a
stirpe ad hanc aetatem ordine enumeraverit, notans,
qui a quoque ortus, quos honores quibusque tem-
poribus cepisset: pari modo Marcelli Claudii de 4
Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi
Fabiorum et Aemiliorum. quibus libris nihil po-
test esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent
notitiae clarorum virorum. attigit poeticen quoque, 5
credimus, ne eius expers esset suavitatis. nam de
viris, qui honore rerumque gestarum amplitudine
ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita,
ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque 6
eorum non amplius quaternis quinisve versibus de-
scripserit: quod vix credendum est, tantas res tam
breviter potuisse declarari. est etiam unus liber
Graece confectus, de consulatu Ciceronis.

Haec hactenus Attico vivo edita a nobis sunt. 19
nunc, quoniam fortuna nos superstites ei esse voluit,
reliqua persequemur et, quantum potuerimus, rerum
exemplis lectores docebimus, sicut supra significavi-
mus, suos cuique mores plerumque conciliare for-
tunam. namque hic contentus ordine equestri, quo 2
erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris, Divi
filii, cum iam ante familiaritatem eius esset conse-
cutus nulla alia re quam elegantia vitae, qua ceteros
ceperat principes civitatis dignitate pari, fortuna hu-
miliores. tanta enim prosperitas Caesarem est con- 3
secuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna, quod cui-
quam ante detulerat, et conciliarit, quod nemo adhuc
civis Romanus quivit consequi. nata est autem At- 4
tico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collo-
carat. hanc Caesar vix anniculam Ti. Claudio Ne-
roni, Drusilla nato, privigno suo, despondit: quae
coniunctio necessitudinem eorum sanxit, familiarita-

20 tem reddidit frequentiorem. quamquam ante haec
sponsalia non solum, cum ab urbe abesset, num-
quam ad suorum quemquam litteras misit, quin
Attico mitteret, quid ageret, in primis quid legeret
2 quibusque in locis et quamdiu esset moraturus, sed
etiam, cum esset in urbe et propter infinitas suas
occupationes minus saepe, quam vellet, Attico fruere-
tur, nullus dies temere intercessit, quo non ad eum
scriberet, cum modo aliquid de antiquitate ab eo
requireret, modo aliquam quaestionem poeticam ei
proponeret, interdum iocans eius verbosiores eliceret
3 epistolas. ex quo accidit, cum aedis Iovis Feretrii
in Capitolio, ab Romulo constituta, vetustate atque
incuria detecta prolaberetur, ut Attici admonitu Cae-
4 sar eam reficiendam curaret. neque vero a M. An-
tonio minus absens litteris colebatur, adeo ut accu-
rate ille ex ultimis terris, quid ageret, curae sibi
5 haberet certiorem facere Atticum. hoc quale sit,
facilius existimabit is, qui iudicare poterit, quantae
sit sapientiae eorum retinere usum benevolentiam-
que, inter quos maximarum rerum non solum aemu-
latio, sed obtrectatio tanta intercedebat, quantam
fuit [intercedere] necesse inter Caesarem atque An-
tonium, cum se uterque principem non solum urbis
Romae, sed orbis terrarum esse cuperet.

21 Tali modo cum septem et septuaginta annos
complesset atque ad extremam senectutem non mi-
nus dignitate quam gratia fortunaque crevisset (mul-
tas enim hereditates nulla alia re quam bonitate
consecutus est) tantaque prosperitate usus esset vale-
2 tudinis, ut annis triginta medicina non indiguisset,
nactus est morbum, quem initio et ipse et medici
contempserunt: nam putarunt esse tenesmon, cui
3 remedia celeria faciliaque proponebantur. in hoc
cum tres menses sine ullis doloribus, praeterquam
quos ex curatione capiebat, consumpsisset, subito
tanta vis morbi in imum intestinum prorupit, ut ex-
tremo tempore per lumbos fistulae puris eruperint.

atque hoc priusquam ei accideret, postquam in dies 4
dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrip-
pam generum ad se arcessi iussit et cum eo L.
Cornelium Balbum Sextumque Peducaeum. hos ut 5
venisse vidit, in cubitum innixus 'quantam' inquit
'curam diligentiamque in valetudine mea tuenda
hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam,
nihil necesse est pluribus verbis commemorare. qui-
bus quoniam, ut spero, satisfeci, me nihil reliqui
fecisse, quod ad sanandum me pertineret, reliquum
est ut egomet mihi consulam. id vos ignorare nolui:
nam mihi stat alere morbum desinere. namque his 6
diebus quidquid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut
auxerim dolores sine spe salutis. quare a vobis
peto primum, ut consilium probetis meum, deinde,
ne frustra dehortando impedire conemini'.

Hac oratione habita tanta constantia vocis at- 22
que vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum
videretur migrare, cum quidem Agrippa eum flens 2
atque osculans oraret atque obsecraret, ne id quod
natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, et quo-
niam tum quoque posset temporibus superesse, se
sibi suisque reservaret, preces eius taciturna sua
obstinatione depressit. sic cum biduum cibo se ab- 3
stinuisset, subito febris decessit leviorque morbus
esse coepit. tamen propositum nihilo secius peregit.
itaque die quinto, postquam id consilium inierat,
pridie Kal. Apriles Cn. Domitio C. Sosio consuli-
bus decessit. elatus est in lecticula, ut ipse prae- 4
scripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus
omnibus bonis, maxima vulgi frequentia. sepultus
est iuxta viam Appiam ad quintum lapidem in mo-
numento Q. Caecilii, avunculi sui.

INDEX GEOGRAPHICUS.

Ace, *urbs Phoeniciae* (*St. Jean d'Acre*).

Aegātes insulae, *in litore occidentali Siciliae.*

Aegīae (Αἴγειαι), *urbs Macedoniae.*

Aegos flumen (Αἰγὸς ποταμοί), *in litore orientali Chersonesi Thraciae.*

Aegyptus, Aegyptius.

Aeolia *et* Aeŏlis, *regio in litore occidentali Asiae minoris.*

Afri, Africa.

Alexandrēa, *caput Aegypti.*

Alpes, Alpĭci.

Amphipŏlis, *oppidum Thraciae.*

Appennīnus, *montium tractus in Italia.*

Appia via, *inter Romam et Campaniam.*

Apulia, *regio Italiae inferioris.*

Arcadia, *regio Peloponnesi;* Arcades, *eius incolae.*

Argi, *caput regionis Argolidis in Peloponneso;* Argivi, *incolae urbis aut regionis.*

Argīlĭus, *incola Argili* (Ἄργιλος) *oppidi in Thracia.*

Armenii, *populus Asiae.*

Arretīnum praedium, *in Etruria.*

Artemisium, *promontorium insulae Euboeae.*

Asia, 1) *pars orbis terrarum,* 2) = *Asia minor.*

Aspendii, *incolae oppidi Aspendi* (Ἄσπενδος) *Pamphyliae in Asia minore.*

Athamānes, *gens Epirotica.*

Athēnae, Atheniensis.

Attĭca, *regio mediae Graeciae;* Attici, *eius incolae.*

Babȳlon, *caput Babyloniae ad Euphratem situm.*

Bithynia, *regio Asiae minoris,* Bithynii, *eius incolae.*

Bizanthe, *oppidum et castellum Thraciae.*

Boeōti, *incolae Boeotiae, regionis in media Graecia.*

Byzantium (= Constantinopolis), *urbs Thraciae;* Byzantii, *eius incolae.*

Cadmēa, *arx Thebarum.*

Cadusii, *gens Asiatica ad mare Caspium.*

Cannensis pugna, *ad Cannas, Apuliae vicum, commissa.*

Capitolium, *unus ex septem collibus Romae.*

Cappadocia, *regio Asiae;* Cappadŏces, *eius incolae.*

Captiāni, *gens Asiatica.*

Capua, *caput regionis Campaniae.*

Car, *cf.* Caria.

Cardianus, *ex Cardia oppido ultra Chersonesum Thraciam.*

Caria, *regio maritima Asiae minoris;* Cares, *eius incolae.*

Q. VALERII CATVLLI

CARMINA.

RECENSVIT

LVCIANVS MVELLER.



LIPSIAE.

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

A. MDCCCLXXI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Q. VALERII CATVLLI

LIBER.

I.

Quoi dono lepidum novom libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, et laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli,
Qualecumque, quod o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

II.

Passer, deliciae meae puellae,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescioquid libet iocari
Vt solaciolum sui doloris,
Credo ut iam gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas!

* * *

INDEX GEOGRAPHICUS.

Ace, *urbs Phoeniciae* (*St. Jean d'Acre*).
Aegātes insulae, *in litore occidentali Siciliae.*
Aegīae (Αἴγειαι), *urbs Macedoniae.*
Aegos flumen (Αἰγὸς ποταμοί), *in litore orientali Chersonesi Thraciae.*
Aegyptus, **Aegyptius.**
Aeolia *et* **Aeŏlis**, *regio in litore occidentali Asiae minoris.*
Afri, **Africa.**
Alexandrēa, *caput Aegypti.*
Alpes, **Alpĭci.**
Amphipŏlis, *oppidum Thraciae.*
Appennīnus, *montium tractus in Italia.*
Appia via, *inter Romam et Campaniam.*
Apulia, *regio Italiae inferioris.*
Arcadia, *regio Peloponnesi;* **Arcades**, *eius incolae.*
Argi, *caput regionis Argolidis in Peloponneso;* **Argivi**, *incolae urbis aut regionis.*
Argīlĭus, *incola Argili* (Ἄργιλος) *oppidi in Thracia.*
Armenii, *populus Asiae.*
Arretīnum praedium, *in Etruria.*
Artemisium, *promontorium insulae Euboeae.*
Asia, 1) *pars orbis terrarum,* 2) = *Asia minor.*
Aspendii, *incolae oppidi Aspendi* (Ἄσπενδος) *Pamphyliae in Asia minore.*
Athamānes, *gens Epirotica.*
Athēnae, **Atheniensis.**
Attĭca, *regio mediae Graeciae;* **Attici**, *eius incolae.*

Babȳlon, *caput Babyloniae ad Euphratem situm.*
Bithynia, *regio Asiae minoris,* **Bithynii**, *eius incolae.*
Bizanthe, *oppidum et castellum Thraciae.*
Boeōti, *incolae Boeotiae, regionis in media Graecia.*
Byzantium (= **Constantinopolis**), *urbs Thraciae;* **Byzantii**, *eius incolae.*

Cadmēa, *arx Thebarum.*
Cadusii, *gens Asiatica ad mare Caspium.*
Cannensis pugna, *ad Cannas, Apuliae vicum, commissa.*
Capitolium, *unus ex septem collibus Romae.*
Cappadocia, *regio Asiae;* **Cappadŏces**, *eius incolae.*
Captiāni, *gens Asiatica.*
Capua, *caput regionis Campaniae.*
Car, *cf.* **Caria.**
Cardianus, *ex Cardia oppido ultra Chersonesum Thraciam.*
Caria, *regio maritima Asiae minoris;* **Cares**, *eius incolae.*

Q. VALERII CATVLLI

CARMINA.

RECENSVIT

LVCIANVS MVELLER.



LIPSIAE.

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI.

A. MDCCCLXXI.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

Q. VALERII CATVLLI

LIBER.

I.

Quoi dono lepidum novom libellum
Arida modo pumice expolitum?
Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum cum ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis
Doctis, Iuppiter, et laboriosis.
Quare habe tibi quidquid hoc libelli,
Qualecumque, quod o patrona virgo,
Plus uno maneat perenne saeclo.

II.

Passer, deliciae meae puellae,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,
Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescioquid libet iocari
Vt solaciolum sui doloris,
Credo ut iam gravis acquiescat ardor:
Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi levare curas!

* * *

Tam gratumst mihi quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

III.

Lugete, o Veneres Cupidinesque,
Et quantumst hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat:
Nam mellitus erat suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipiabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! io miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

IIII.

Phaselus ille, quem videtis, hospites,
Ait fuisse navium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeter ire, sive palmulis
Opus foret volare sive linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus insulasve Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
Propontida trucemve Ponticum sinum,
Vbi iste post phaselus antea fuit

Comata silva: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phaselus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per inpotentia freta
Erum tulisse, laeva sive dextera
Vocaret aura, sive utrumque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla vota litoralibus deis
Sibi esse facta, cum veniret a marei
Novissime hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

V.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Deinde usque altera mille, deinde centum.
Dein, cum milia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut nequis malus invidere possit,
Cum tantum sciet esse basiorum.

VI.

Flavi, delicias tuas Catullo,
Nei sint inlepidae atque inelegantes,

Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescioquid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non viduas iacere noctes
Nequiquam tacitum cubile clamat
Sertis ac Syrio fragrans olivo,
Pulvinusque peraeque et hic et ille
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.
Nam nil stupra valet, nihil, tacere.
Cur? non tam latera ecfututa pandas,
Nei tu quid facias ineptiarum.
Quare quidquid habes boni malique,
Dic nobis. volo te ac tuos amores
Ad caelum lepido vocare versu.

VII.

Quaeris, quot mihi basiationes
Tuae, Lesbia, sint satis superque.
Quam magnus numerus Libyssae arenae
Lasarpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iovis inter aestuosi
Et Batti veteris sacrum sepulcrum,
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores,
Tam te basia multa basiare
Vesano satis et super Catullost,
Quae nec pernumerare curiosi
Possint nec mala fascinare lingua.

VIII.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod vides perisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum ventitabas quo puella ducebat
Amata nobis quantum amabitur nulla.

Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quae tu volebas nec puella nolebat.
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult: tu quoque, inpotens, noli
Nec quae fugit sectare, nec miser vive,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella. iam Catullus obdurat,
Nec te requiret nec rogabit invitam:
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
Scelesta, vae te! quae tibi manet vita!
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

VIIII.

Verani, omnibus e meis amicis
Antistans mihi milibus trecentis,
Venistine domum ad tuos Penates
Fratresque unanimos anumque matrem?
Venisti. o mihi nuntii beati!
Visam te incolumem audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Vt mos est tuus, adplicansque collum
Iocundum os oculosque suaviabor.
O quantumst hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusve?

X.

Varus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum, ut mihi tum repente visumst,
Non sane inlepidum neque invenustum.
Huc ut venimus, incidere nobis
Sermones varii, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,

Ecquonam mihi profuisset aere.
Respondi id quod erat, nihil neque ipsis
Nec praetoribus esse nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret,
Praesertim quibus esset inrumator
Praetor, non faciens pili cohortem.
'At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur esse, conparasti
Ad lecticam homines.' ego, ut puellae
Vnum me facerem beatiorem,
'Non' inquam 'mihi tam fuit maligne,
Vt, provincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.'
At mi nullus erat nec hic neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinaediorem,
'Quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum
Istos. commode enim volo ad Sarapim
Deferri.' 'minime' inquii puellae;

* * *

'Istud quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio: meus sodalis
Cinnast Gaius, is sibi paravit.
Verum, utrum illius an mei, quid ad me?
Vtor tam bene quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male ac molesta vivis,
Per quam non licet esse negligentem.'

XI.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Sive in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda,
Sive in Hyrcanos Arabesve molles,
Seu Sacas sagittiferosve Parthos,

Sive qua septemgeminus colorat
Aequora Nilus,
Sive trans altas gradietur Alpes,
Caesaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum, horribile aequor ulti-
mosque Britannos,
Omnia haec, quaecumque feret voluntas
Caelitum, temptare simul parati,
Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta.
Cum suis vivat valeatque moechis,
Quos simul conplexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens:
Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit velut prati
Vltimi flos, praeter eunte postquam
Tactus aratrost.

XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque vino:
Tollis lintea neglegentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
Quamvis sordida res et invenustast.
Non credis mihi? crede Polioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta aut mihi linteum remitte,
Quod me non movet aestimatione,
Verumst mnemosynum mei sodalis.
Nam sudaria Saetaba ex Hibereis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius: haec amem necessest
Vt Veraniolum meum et Fabullum.

XIII.

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi di favent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cenam, non sine candida puella
Et vino et sale et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, venuste noster,
Cenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores
Seu quid suavius elegantiusvest:
Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque,
Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

XIIII.

Ni te plus oculis meis amarem,
Iocundissime Calve, munere isto
Odissem te odio Vatiniano:
Nam quid feci ego quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?
Isti di mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit inpiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc novum ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator,
Non est mi male, sed bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Di magni, horribilem et sacrum libellum
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum!
Non non hoc tibi, salse, sic abibit:
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Caesios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his suppliciis remunerabor.

Vos hinc interea (valete) abite
Illuc, unde malum pedem attulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

XIIII[b].

Siqui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis manusque vestras
Non horrebitis admovere nobis,
* * *

XV.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli. veniam peto pudentem,
Vt, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres et integellum,
Conserves puerum mihi pudice,
Non dico a populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc modo illuc
In re praetereunt sua occupati:
Verum a te metuo tuoque pene
Infesto pueris bonis malisque.
Quem tu qua lubet, ut iubet, moveto,
Quantum vis, ubi erit foris, paratum:
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens furorque vecors
In tantam inpulerit, sceleste, culpam,
Vt nostrum insidiis caput lacessas,
A tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent raphanique mugilesque.

XVI.

Pedicabo ego vos et inrumabo,
Aureli pathice et cinaede Furi,
Qui me ex versiculis meis putastis,

Quod sunt molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necessest,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi ac parum pudici
Et quod pruriat incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt movere lumbos.
Vos, quom milia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis?
Pedicabo ego vos et inrumabo.

XVII.

O Colonia, quae cupis ponte ludere longo,
Et salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli assulis stantis in redivivis,
Ne supinus eat cavaque in palude recumbat;
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsili sacra suscipiantur:
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,
Verum totius ut lacus putidaeque paludis
Lividissima maximeque est profunda vorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit viridissimo nupta flore puella
(Et puella tenellulo delicatior haedo,
Adservanda nigerrimis diligentius uvis),
Ludere hanc sinit ut lubet, nec pili facit uni,
Nec se sublevat ex sua parte, sed velut alnus
In fossa Liguri iacet suppernata securi,
Tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,
Ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.

Nunc eum volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum
Et supinum animum in gravi derelinquere caeno,
Ferream ut soleam tenaci in voragine mula.

XVIII—XXI.

Aureli, pater essuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt
Aut sunt aut aliis erunt in annis,
Pedicare cupis meos amores.
Nec clam: nam simul es, iocaris una,
Haeres ad latus omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior inrumatione.
Atque id si faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quod essurire,
A me me, puer et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico,
Ne finem facias, sed inrumatus.

XXII.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homost venustus et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta, nec sic ut fit in palimpseston
Relata: chartae regiae, novei libri,
Novei umbilici, lora rubra, membrana
Derecta plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra
Aut siquid hac re scitius videbatur,
Idem infacetost infacetior rure,
Simul poemata attigit, neque idem umquam

Aequest beatus ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, nequest quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. suus cuique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergost.

XXIII.

Furei, quoi neque servos est neque arca
Nec cimex neque araneus neque ignis,
Verumst et pater et noverca, quorum
Dentes vel silicem comesse possunt,
Est pulchre tibi cum tuo parente
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam valetis omnes,
Pulchre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graves ruinas,
Non furta inpia, non dolos veneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu
Aut siquid magis aridumst habetis
Sole et frigore et essuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliva,
Mucusque et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillost,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque id durius est faba et lapillis;
Quod tu si manibus teras fricesque,
Non umquam digitum inquinare possis.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere nec putare parvi,
Et sestertia quae soles precari
Centum desine: nam sat es beatus.

XXIIII.

) qui flosculus es Iuventiorum,
Ion horum modo, sed quot aut fuerunt
.ut posthac aliis erunt in annis,
Iallem divitias Midae dedisses
sti, quoi neque servus est neque arca,
)uam sic te sineres ab illo amari.
Qui? non est homo bellus?' inquies. est:
ied bello huic neque servos est neque arca.
Ioc tu quam lubet abice elevaque:
Nec servom tamen ille habet neque arcam.

XXV.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo
Vel anseris medullula vel imula oricilla
Vel pene languido senis situque araneoso,
Idemque Thalle turbida rapacior procella,
Cum diva munerarios ostendit oscitantes,
Remitte pallium mihi meum, quod involasti,
Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos,
Inepte, quae palam soles habere tamquam avita.
Quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
Ne laneum latusculum manusque mollicellas
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent,
Et insolenter aestues velut minuta magno
Deprensa navis in mari vesaniente vento.

XXVI.

Furi, villula nostra non ad Austri
Flatus oppositast neque ad Favoni
Nec saevi Boreae aut Apeliotae,
Verum ad milia quindecim et ducentos.
O ventum horribilem atque pestilentem!

XXVII.

Minister vetuli puer Falerni
Inger mi calices amariores,
Vt lex Postumiae iubet magistrae,
Ebriosa acina ebriosioris.
At vos quo lubet hinc abite, lymphae
Vini pernicies, et ad severos
Migrate: hic merus est Thyonianus.

XXVIII.

Pisonis comites, cohors inanis
Aptis sarcinulis et expeditis,
Verani optime tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa frigoraque et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum, ut mihi, qui meum secutus
Praetorem refero datum lucello
'O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus inrumasti.'
Sed, quantum video, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore verpa
Farti estis. pete nobiles amicos.
At vobis mala multa di deaeque
Dent, opprobria Romulei Remique.

XXVIIII.

Quis hoc potest videre, quis potest pati,
Nisi inpudicus et vorax et aleo,
Mamurram habere quod Comata Gallia
Habebat ante et ultima Britannia?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es inpudicus et vorax et aleo.
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia

Ut albulus columbus aut Adoneus?
Cinaede Romule, haec videbis et feres?
Es inpudicus et vorax et aleo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula,
Ut ista vostra defututa Mentula
Ducenties comesset aut trecenties?
Quid est alid sinistra liberalitas?
Parum expatravit an parum eluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona:
Secunda praeda Pontica: inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Timentne Galliae hunc, timent Britanniae?
Quid hunc malum fovetis? aut quid hic potest,
Nisi uncta devorare patrimonia?
Eone nomine urbis, o potissimei
Socer generque, perdidistis omnia?

XXX.

Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus,
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?

Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?
Nec facta inpia fallacum hominum caelicolis placent:

Quod tu neglegis, ac me miserum deseris in malis.
Eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidem?

Certe tute iubebas animam tradere, inique, me
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
Ventos inrita ferre ac nebulas aerias sinis.

Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.

XXXI.

Paeninsularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter quamque laetus inviso,
Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos et videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis,
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod unumst pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude:
Gaudete vosque, o Libuae lacus undae:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

XXXII.

Amabo, mea dulcis Ipsithilla,
Meae deliciae, mei lepores,
Iube ad te veniam meridiatum.
Et si iusseris illud, adiuvato,
Nequis liminis obseret tabellam,
Neu tibi lubeat foras abire,
Sed domi maneas paresque nobis
Novem continuas fututiones.
Verum, siquid ages, statim iubeto:
Nam pransus iaceo et satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

XXXIII.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater, et cinaede fili,
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore)
Cur non exilium malasque in oras

Itis, quandoquidem patris rapinae
Notae sunt populo, et natis pilosas,
Fili, non potes asse venditare.

XXXIIII.

Dianae sumus in fide
Puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
Puellaeque canamus.

O Latonia, maximi
Magna progenies Iovis,
Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam,

Montium domina ut fores
Silvarumque virentium
Saltuumque reconditorum
Amniumque sonantum.

Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Trivia et notho's
Dicta lumine Luna.

Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuom
Rustica agricolae bonis
Tecta frugibus exples.

Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Antique ut solita's, bona
Sospites ope gentem.

XXXV.

Poetae tenero, meo sodali
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens

Comi moenia Lariumque litus:
Nam quasdam volo cogitationes
Amici accipiat sui meique.
Quare, si sapiet, viam vorabit,
Quamvis candida milies puella
Euntem revocet manusque collo
Ambas iniciens roget morari,
Quae nunc, si mihi vera nuntiantur,
Illum deperit inpotente amore:
Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, ex eo misellae
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior: est enim venuste
Magna Caecilio incohata mater.

XXXVI.

Annales Volusi, cacata charta,
Votum solvite pro mea puella:
Nam sanctae Veneri Cupidinique
Vovit, si sibi restitutus essem
Desissemque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis.
Et haec pessima se puella vidit
Iocose lepide vovere divis.
Nunc, o caeruleo creata ponto,
Quae sanctum Idalium Vriosque portus
Quaeque Ancona Cnidumque harundinosam
Colis quaeque Amathunta quaeque Golgos
Quaeque Durrachium Adriae tabernam,
Acceptum face redditumque votum,
Si non inlepidum neque invenustumst.
At vos interea venite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum
Annales Volusi, cacata charta.

XXXVII.

Salax taberna vosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis,
Solis licere, quidquid est puellarum,
Confutuere et putare ceteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum an ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos inrumare sessores?
Atqui putate: namque totius vobis
Frontem tabernae scorpionibus scribam.
Puella nam mi, quae meo sinu fugit,
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni beatique
Omnes amatis, et quidem, quod indignumst,
Omnes pusilli et semitarii moechi;
Tu praeter omnes une de capillatis,
Cuniculosae Celtiberiae fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba
Et dens Hibera defricatus urina.

XXXVIII.

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
Malest, me hercule, et est laboriose,
Et magis magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumquest,
Qua solatus es adlocutione?
Irascor tibi. sic meos amores?
Paulum quid lubet adlocutionis,
Maestius lacrimis Simonideis.

XXXVIIII.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usque quaque. sei ad rei ventumst

Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille. sei ad pii rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille. quidquid est, ubicumquest,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum,
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendum test mihi, bone Egnati.
Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs
Aut fartus Vmber aut obesus Etruscus
Aut Lanuinus ater atque dentatus
Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut quilubet, qui puriter lavit dentes,
Tamen renidere usque quaque te nollem:
Nam risu inepto res ineptior nullast.
Nunc Celtiber es: Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem atque russam defricare gingivam,
Vt quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

XXXX.

Quaenam te mala mens, miselle Ravide,
Agit praecipitem in meos iambos?
Quis deus tibi non bene advocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An ut pervenias in ora vulgi?
Quid vis? qua lubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare poena.

XXXXI.

Ametina puella defututa
Tota milia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curae,

Amicos medicosque convocate:
Non est sana puella. nec rogate,
Qualis sit: solet esse imaginosa.

XXXXII.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse moecha turpis
Et negat mihi nostra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quae sit, quaeritis. illa, quam videtis
Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate,
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.'
Non assis facis? o lutum, lupanar,
Aut si perditius potest quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos.'
Sed nil proficimus, nihil movetur.
Mutandast ratio modusque vobis,
Siquid proficere amplius potestis,
'Pudica et proba, redde codicillos.'

XXXXIII.

Salve, nec minimo puella naso
Nec bello pede nec nigris ocellis
Nec longis digitis nec ore sicco
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.

Ten provincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra conparatur?
O saeclum insapiens et infacetum!

XXXXIIII.

O funde noster seu Sabine seu Tiburs,
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordist,
Quovis Sabinum pignore esse contendunt)
Sed seu Sabine sive verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non inmerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas adpeto, dedit, cenas.
Nam, Sestianus dum volo esse conviva,
Orationem in Antium petitorem
Plenam veneni et pestilentiae legi.
Hic me gravido frigida et frequens tussis
Quassavit usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuravi otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin gravidinem et tussim
Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tum vocat me, cum malum librum legi.

XXXXV.

Acmen Septumius suos amores
Tenens in gremio 'mea' inquit 'Acme,
Ni te perdite amo atque amare porro
Omnes sum adsidue paratus annos
Quantum qui pote plurimum perire,
Solus in Libya Indiave tosta
Caesio veniam obvius leoni.'
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,

Dextra sternuit adprobationem.
At Acme leviter caput reflectens
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore saviata
'Sic' inquit 'mea vita Septumille,
Huic uni domino usque serviamus,
Vt multo mihi maior acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis.'
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
Dextra sternuit adprobationem.
Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant amantur.
Vnam Septumius misellus Acmen
Mavolt quam Syrias Britanniasque:
Vno in Septumio fidelis Acme
Facit delicias libidinesque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit, quis Venerem auspicatiorem?

XXXXVI.

Iam ver egelidos refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis
Iocundis Zephyri silescit aureis.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
Ad claras Asiae volemus urbes.
Iam mens praetrepidans avet vagari,
Iam laeti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diversae variae viae reportant.

XXXXVII.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi
Vos Veraniolo meo et Fabullo

Verpus praeposuit Priapus ille?
Vos convivia lauta sumptuose
De die facitis? mei sodales
Quaerunt in trivio vocationes?

XXXXVIII.

Mellitos oculos tuos, Iuventi,
Siquis me sinat usque basiare,
Vsque ad milia basiem trecenta,
Nec umquam videar satur futurus,
Non si densior aridis aristis
Sit nostrae seges osculationis.

XXXXVIIII.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta
Quanto tu optimus omnium patronus.

L.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt convenerat esse delicatos.
Scribens versiculos uterque nostrum
Ludebat numero modo hoc modo illoc,
Reddens mutua per iocum atque vinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Vt nec me miserum cibus iuvaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer cupiens videre lucem,

Vt tecum loquerer, simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iocunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax cave sis, precesque nostras,
Oramus, cave despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est vemens dea: laedere hanc caveto.

LI.

Ille mi par esse deo videtur,
Ille, si fas est, superare divos,
Qui sedens adversus identidem te
 Spectat et audit
Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
. . . .
Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinant aures geminae, teguntur
 Lumina nocte.

LI^b.

Otium, Catulle, tibi molestumst:
Otio exultas nimiumque gestis.
Otium et reges prius et beatas
 Perdidit urbes.

LII.

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
Sella in curuli struma Nonius sedet,
Per consulatum peierat Vatinius:
Quid est, Catulle? quid moraris emori?

LIII.

Risi nescioquem modo e corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Calvos explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens,
'Di magni, salaputium disertum!'

LIIII.

Othonis caput oppidost pusillum
* * *
Neri rustica semilauta crura,
Subtile et leve peditum Libonis.
* * *
Si non omnia displicere vellem
Tibi et Fuficio seni recocto

LIIII b.

Irascere iterum meis iambis
Inmerentibus, unice imperator.

LV.

Oramus, si forte non molestumst,
Demostres, ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesivimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo summi Iovis sacrato.
In Magni simul ambulatione
Femellas omnes, amice, prendi,
Quas vultu vidi tamen serenas.
A, vel te sic ipse flagitabam,
'Camerium mihi, pessimae puellae.'
Quaedam inquit, nudum sinum reducens,
'En heic in roseis latet papillis.'
13 Sed te iam ferre Herculei labos est.

Non custos si fingar ille Cretum, 23
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Ladas ego pinnipesve Perseus,
Non Rhesi nivea citaque biga:
Adde huc plumipedes volatilesque,
Ventorumque simul require cursum:
Quos cunctos, Cameri, mihi dicares,
Defessus tamen omnibus medullis
Et multis langoribus peresus
Essem te mihi, amice, quaeritando. 32
Tanto ten fastu negas, amice? 14
Dic nobis ubi sis futurus, ede
Audacter, committe, crede lucei.
Num te lacteolae tenent puellae?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquella.
Vel si vis, licet obseres palatum,
Dum vostri sim particeps amoris.

LVI.

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
Dignamque auribus et tuo cachinno.
Ride, quidquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Protelo rigida mea cecidi.

LVII.

Pulcre convenit inprobis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique.
Nec mirum: maculae pares utrisque,
Vrbana altera et illa Formiana,
Inpressae resident nec eluuntur:
Morbosi pariter, gemelli utrique

Vno in lectulo, erudituli ambo,
Non hic quam ille magis vorax adulter,
Rivales sociei puellularum.
Pulcre convenit inprobis cinaedis.

LVIII.

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amavit omnes,
Nunc in quadriviis et angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

LVIIII.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,
Vxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cenam,
Cum devolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

LX.

Num te leaena montibus Libystinis
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreavit ac taetra,
Vt supplicis vocem in novissimo casu
Contemptam haberes a! nimis fero corde?

LXI.

Collis o Heliconii
  Cultor, Vraniae genus,
  Qui rapis teneram ad virum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
  O Hymen Hymenaee,

Cinge tempora floribus
  Suave olentis amaraci,
  Flammeum cape, laetus huc
Huc veni niveo gerens
  Luteum pede soccum,

Excitusque hilari die
  Nuptialia concinens
  Voce carmina tinnula
Pelle humum pedibus, manu
  Pineam quate taedam.

Namque Vinia Manlio,
  Qualis Idalium colens
  Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
  Nubet alite virgo,

Floridis velut enitens
  Myrtus Asia ramulis,
  Quos Hamadryades deae
Ludicrum sibi rosido
  Nutriunt umore.

Quare age huc aditum ferens
  Perge linquere Thespiae
  Rupis Aonios specus,
Nympha quos super inrigat
  Frigerans Aganippe,

Ac domum dominam voca
  Coniugis cupidam novi,
  Mentem amore revinciens,
Vt tenax hedera huc et huc
  Arborem inplicat errans.

Vosque item simul, integrae
  Virgines, quibus advenit
  Par dies, agite in modum
Dicite 'o Hymenaee Hymen,
  O Hymen Hymenaee,'

Vt lubentius, audiens
Se citarier ad suom
Munus, huc aditum ferat
Dux bonae Veneris, boni
Coniugator amoris.

Quis deus magis anxiis
Est petendus amantibus?
Quem colent homines magis
Caelitum? o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee.

Te suis tremulus parens
Invocat, tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timens cupida novos
Captat aure maritus.

Tu fero iuveni in manus
Floridam ipse puellulam
Dedis a gremio suae
Matris, o Hymenaee Hymen,
O Hymen Hymenaee.

Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona conprobet,
Commodi capere: at potest
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Nulla quit sine te domus
Liberos dare, nec parens
Stirpe cingier: at potest
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat
Te volente. quis huic deo
Conpararier ausit?

Claustra pandite ianuae,
  Virgo ades. viden ut faces
  Splendidas quatiunt comas?
Tardet ingenuos pudor:
  *   *   *

  *   *   *
  *   *   *
  *   *   *
Quem tamen magis audiens
  Flet, quod ire necesse est.

Flere desine. non tibi, A-
  runculeia, periculumst,
  Nequa femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
  Viderit venientem.

Talis in vario solet
  Divitis domini hortulo
  Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies:
  Prodeas, nova nupta.

Prodeas, nova nupta, si
  Iam videtur, et audias
  Nostra verba. vide ut faces
Aureas quatiunt comas:
  Prodeas, nova nupta.

Non tuos levis in mala
  Deditus vir adultera
  Probra turpia persequens
A tuis teneris volet
  Secubare papillis,

Lenta quin velut adsitas
  Vitis implicat arbores,
  Implicabitur in tuom
Conplexum. sed abit dies:
  Prodeas, nova nupta.

O cubile, quod omnibus
* * *
* * *
* * *
Candido pede lecti,

Quae tuo veniunt ero,
Quanta gaudia, quae vaga
Nocte, quae medio die
Gaudeat! sed abit dies:
Prodeas, nova nupta.

Tollite, o pueri, faces:
Flammeum video venire.
Ite, concinite in modum
'O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.'

Ne diu taceat procax
Fescennina iocatio,
Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam servire Talasio.
Concubine, nuces da.

Sordebant tibi vilicae,
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuom cinerarius
Tondet os. miser a miser
Concubine, nuces da.

Diceris male te a tuis
Vnguentate glabris marite
Abstinere: sed abstine.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Scimus haec tibi quae licent
  Sola cognita: sed marito
  Ista non eadem licent.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Nupta, tu quoque, quae tuos
  Vir petet, cave ne neges,
  Ni petitum aliunde eat.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

En tibi domus ut potens
  Et beata viri tui,
  Quae tibi sine fine erit
(O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee),

Vsque dum tremulum movens
  Cana tempus anilitas
  Omnia omnibus adnuit.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Transfer omine cum bono
  Limen aureolos pedes,
  Rasilemque subi forem.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Aspice, intus ut accubans
  Vir tuos Tyrio in toro
  Totus inmineat tibi.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Illi non minus ac tibi
  Pectore uritur intimo
  Flamma, sed penite magis.
O Hymen Hymenaee io,
  O Hymen Hymenaee.

Mitte brachiolum teres,
Praetextate, puellulae:
Iam cubile adeat viri.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Vos bonae senibus viris
Cognitae bene feminae,
Collocate puellulam.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Iam licet venias, marite:
Vxor in thalamo tibist
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut
Luteumve papaver.

At, marite, (ita me iuvent
Caelites) nihilo minus
Pulcher es, neque te Venus
Neglegit. sed abit dies:
Perge, ne remorare.

Non diu remoratus es,
Iam venis. bona te Venus
Iuverit, quoniam palam
Quod cupis capis et bonum
Non abscondis amorem.

Ille pulveris Africei
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vostri numerare volt
Multa milia ludei.

Ludite ut lubet, et brevi
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari.

Torquatus volo parvolus
  Matris e gremio suae
  Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem
  Semhiante labello.

Sit suo similis patri
  Manlio et facile inscieis
  Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
  Matris indicet ore.

Talis illius a bona
  Matre laus genus adprobet,
  Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
  Fama Penelopeo.

Claudite ostia, virgines:
  Lusimus satis. at, bonei
  Coniuges, bene vivite et
Munere adsiduo valentem
  Exercete inventam.

LXII.

Vesper adest, iuvenes, consurgite: Vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pingues linquere mensas,
Iam veniet virgo, iam dicetur Hymenaeus.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Cernitis, innuptae, iuvenes? consurgite contra:
Nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes.
Sic certest; viden ut perniciter exiluere?
Non temere exiluere, canent quod vincere par est.
  Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Non facilis nobis, aequales, palma paratast,
Adspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.

Non frustra meditantur, habent memorabile quod sit.
Nec mirum, penitus quae tota mente laborent.
Nos alio mentes, alio divisimus aures:
Iure igitur vincemur, amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem convertite vestros,
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis conplexu avellere matris,
Conplexu matris retinentem avellere natam
Et iuveni ardenti castam donare puellam.
Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Hespere, qui caelo lucet iocundior ignis?
Qui desponsa tua firmes conubia flamma,
Quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.
Quid datur a divis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

* * *

Hesperus e nobis, aequales, abstulit unam

* * *

Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

* * *

Namque tuo adventu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe revertens,
Hespere, mutato conprendis nomine Eous.
At libet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Vt flos in saeptis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo convolsus aratro,

Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber
. . . .
Multi illum pueri, multae optavere puellae:
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optavere puellae:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iocunda manet, nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

Vt vidua in nudo vitis quae nascitur arvo
Numquam se extollit, numquam mitem educat uvam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum;
Hanc nulli agricolae, nulli coluere bubulci:
At si forte eademst ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere bubulci:
Sic virgo dum intacta manet, dum inculta senescit;
Cum par conubium maturo tempore adeptast,
Cara viro magis et minus est invisa parenti.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non aequomst pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necessest.
Virginitas non tota tuast, ex parte parentumst,
Tertia pars patrist, pars est data tertia matri,
Tertia sola tuast: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee!

LXIII.

Super alta vectus Attis celeri rate maria
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit
Adiitque opaca, silvis redimita loca deae,
Stimulatus ibi furenti rabie, vagus animis,

Devolsit ilei acuto sibi pondera silice.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine viro,
Etiam recente terrae sola sanguine maculans
Niveis citata cepit manibus leve typanum,
Typanum, tuom Cybebe, tua, mater, initia,
Quatiensque terga taurei teneris cava digitis
Canere haec suis adortast tremebunda comitibus.
'Agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenae dominae vaga pecora,
Aliena quae petentes velut exules loca
Sectam meam executae duce me mihi comites
Rabidum salum tulistis truculentaque pelage
Et corpus evirastis Veneris nimio odio,
Hilarate erae citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae,
Vbi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Vbi capita Maenades vi iaciunt ederigerae,
Vbi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Vbi suevit illa divae volitare vaga cohors:
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.'
Simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant,
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul anhelans vaga vadit, animam agens,
Comitata tympano Attis per opaca nemora dux,
Veluti iuvenca vitans onus indomita iugi:
Rapidae ducem sequuntur Gallae properipedem.
Itaque ut domum Cybebes tetigere lassulae,
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante langore oculos sopor operit:
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustravit aethera album, sola dura, mare ferum,

Pepulitque noctis umbras vegetis sonipedibus,
Ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit:
Trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rapida sine rabie
Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
Liquidaque mente vidit sine queis ubique foret,
Animo aestuante rusum reditum ad vada tetulit.
Ibi maria vasta visens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta maestast ita voce miseriter.
'Patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae
Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
Vt aput nivem et ferarum gelida stabula forem
Et earum operta adirem furibunda latibula?
Vbinam aut quibus locis te positam, patria, reor?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breve tempus animus est.
Egone a mea remota haec ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palaestra, stadio et guminasiis?
Miser a miser, querendumst etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figuraest, ego non quod habuerim?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego guminasi fui flos, ego eram decus olei:
Mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar?
Ego Maenas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idae nive amicta loca colam?
Ego vitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
Vbi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus?
Iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet.'
Roseis ut huic labellis sonitus celer abiit,
Geminas deorum ad aures nova nuntia referens,
Ibi iuncta iuga resolvens Cybele leonibus
Laevumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.

'Agedum' inquit 'age ferox i, fac ut hunc furor *agitet*,
Fac uti furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age caede terga cauda, tua verbera patere,
Fac cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox torosa cervice quate iubam.'
Ait haec minax Cybebe religatque iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo,
Vadit, fremit, refringit virgulta pede vago.
At ubi umida albicantis loca litoris adiit,
Teneramque vidit Attin prope marmora pelagi,
Facit impetum: illa demens fugit in nemora fera:
Ibi semper omne vitae spatium famula fuit.
Dea magna, dea Cybebe, Didymei dea domina,
Procul a mea tuos sit furor omnis, era, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

LXIIII.

Peliaco quondam prognatae vertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeetaeos,
Cum lecti iuvenes, Argivae robora pubis,
Auratam optantes Colchis avertere pellem
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Caerula verrentes abiegnis aequora palmis.
Diva quibus retinens in summis urbibus arces
Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simulac rostro ventosum proscidit aequor,
Tortaque remigio spumis incanduit unda,
Emersere freti canenti e gurgite vultus
Aequoreae monstrum Nereides admirantes.
Atque illic alma viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.

Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sanxit.
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, salvete, deum genus, o bona matrum
Progenies, salvete iterum *placidique favete.*
Vos ego saepe meo, vos carmine conpellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu, cui Iuppiter ipse,
Ipse suos divom genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quoi simul optatae finito tempore luces
Advenere, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:
Dona ferunt prae se, declarant gaudia voltu.
Deseritur Cieros, linquunt Phthiotica tempe,
Crannonisque domos ac moenia Larisaea,
Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuvencis,
Non humilis curvis purgatur vinea rastris,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
Non glaebam prono convellit vomere taurus,
Squalida desertis rubigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae,
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Pulvinar vero divae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.
Haec vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mira virtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam sese quae visit visere credit,

Vt pote fallaci quae tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernat arena.
Inmemor at iuvenis fugiens pellit vada remis,
Inrita ventosae linquens promissa procellae.
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis,
Saxea ut effigies bacchantis, prospicit, eheu,
Prospicit et magnis curarum fluctuat undis,
Non flavo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta levi † velatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactantes vincta papillas,
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis adludebant.
Set neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
A misera, adsiduis quam luctibus externavit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quom robore Theseus
Egressus curvis e litoribus Piraei
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exolvere caedis
Electos iuvenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quis angusta malis cum moenia vexarentur,
Ipse suom Theseus pro caris corpus Athenis
Proicere optavit potius quam talia Cretam
Funera Cecropiae nec funera portarentur,
Atque ita nave levi nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.
Hunc simulac cupido conspexit lumine virgo
Regia, quam suavis expirans castus odores
Lectulus in molli conplexu matris alebat,
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus
Aurave distinctos educit verna colores,
Non prius ex illo flagrantia declinavit
Lumina, quam cuncto concepit corpore flammam
Funditus atque imis exarsit tota medullis.

Heu misere exagitans inmiti corde furores
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus in flavo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quam tum saepe magis † fulgore expalluit auri!
Cum saevom cupiens contra contendere monstrum
Aut mortem oppeteret Theseus aut praemia laudis.
Non ingrata tamen frustra munuscula divis
Promittens tacito succepit vota labello.
Nam velut in summo quatientem brachia Tauro
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitum turben contorquens flamine robur
Eruit (illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, late quast impetus obvia frangens),
Sic domito saevom prostravit corpore Theseus
Nequiquam vanis iactantem cornua ventis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobservabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine plura
Conmemorem, ut linquens genitoris filia voltum,
Vt consanguineae conplexum, ut denique matris,
Quae misera in gnata deperdita laetabatur,
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,
Aut ut vecta rati spumosa ad litora Diae
Venerit, aut ut eam devinctam lumina somno
Liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse e pectore voces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Vnde aciem in pelagi vastos protenderet aestus,
Tum tremuli salis adversas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae,
Atque haec extremis maestam dixisse querellis,
Frigidulos udo singultus ore cientem.

'Sicine me patriis avectam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Sicine discedens neglecto numine divom
Inmemor a, devota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Inmite ut nostri vellet miserescere pectus?
At non haec quondam nobis promissa dedisti,
Vane: mihi non haec miserae sperare iubebas,
Sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aerii discerpunt irrita venti.
Iam iam nulla viro iuranti femina credat,
Nulla viri speret sermones esse fideles;
Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed simulac cupidae mentis satiata libidost,
Dicta nihil meminere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio versantem turbine leti
Eripui, et potius germanum amittere crevi,
Quam tibi fallaci supremo in tempore dessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
Praeda, neque iniecta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena?
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae vasta Charybdis?
Talia qui reddis pro dulci praemia vita.
Si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
Saeva quod horrebas prisci praecepta parentis,
At tamen in vostras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iocundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis
Purpureave tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris,
Externata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt nec reddere voces?
Ille autem prope iam mediis versatur in undis,
Nec quisquam adparet vacua mortalis in alga.

Sic nimis insultans extremo tempore saeva
Fors etiam nostris invidit questibus aures.
Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Creta religasset navita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitar?
Idomeneosne petam montes? a, gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui,
Respersum iuvenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore,
Quine fugit lentos incurvans gurgite remos?
Praeterea nullo litus, sola insula, tecto,
Nec patet egressus pelagi cingentibus undis:
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam a divis exposcam prodita multam,
Caelestumque fidem postrema conprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice poena,
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons expirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc adventate, meas audite querellas,
Quas ego vae! misera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam verae nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum,
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deae, funestet seque suosque.'
  Has postquam maesto profudit pectore voces,
Supplicium saevis exposcens anxia factis,
Adnuit invicto caelestum numine rector,
Quo motu tellus atque horrida contremuerunt
Aequora concussitque micantia sidera mundus.

Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat,
Dulcia nec maesto sustollens signa parenti
Sospitem Erechtheum se ostendit visere portum.
Namque ferunt olim, castae cum moenia divae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia conplexum iuveni mandata dedisse.
'Gnate mihi longa iocundior unice vita,
Reddite in extrema nuper mihi fine senectae,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Quandoquidem fortuna mea ac tua fervida virtus
Eripit invito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae,
Sed primum multas expromam mente querellas,
Canitiem terra atque infuso pulvere foedans,
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
Carbasus obscurata decet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthei
Adnuit, ut tauri respergas sanguine dextram,
Tum vero facito ut memori tibi condita corde
Haec vigeant mandata, nec ulla oblitteret aetas,
Vt simulac nostros invisent lumina colles,
Funestam antennae deponant undique vestem,
Candidaque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali,
Quam primum cernens ut laeta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.'
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae ventorum flamine nubes
Aerium nivei montis liquere cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in adsiduos absumens lumina fletus,
Cum primum infecti conspexit lintea veli,

Praecipitem sese scopulorum e vertice iecit,
Amissum credens inmiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente inmemori talem ipse recepit.
Quae tamen aspectans cedentem maesta carinam
Multiplices animo volvebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore.
. . . .
Quae tum alacres passim lymphata mente furebant
Euhoe bacchantes, euhoe capita inflectentes.
Harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
Pars e divolso iactabant membra iuvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani,
Plangebant aliae proceris tympana palmis
Aut tereti tenues tinnitus aere ciebant,
Multis raucisonos efflabant cornua bombos
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris
Pulvinar conplexa suo velabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expletast, sanctis coepit decedere divis.
Hic, qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas
Aurora exoriente vagi sub limina Solis,
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt (leni resonant plangore cachinni),
Post vento crescente magis magis increbescunt
Purpureaque procul nantes a luce refulgent,
Sic ibi vestibuli linquentes regia tecta
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum princeps e vertice Pelei
Advenit Chiron portans silvestria dona:

Nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda Favoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Quo permulsa domus iocundo risit odore.
Confestim Penios adest, viridantia Tempe,
Tempe, quae silvae cingunt super inpendentes,
† Minosim linquens crebris celebranda choreis,
Non vacuos: namque ille tulit radicitus altas
Fagos ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano lentaque sorore
Flammati Phaethontis et aeria cupressu.
Haec circum sedes late contexta locavit,
Vestibulum ut molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
Extenuata gerens veteris vestigia poenae,
Quam quondam scythicis restrictus membra catena
Persolvit pendens e verticibus praeruptis.
Inde pater divom sancta cum coniuge natisque
Advenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens
Vnigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernatast
Nec Thetidis taedas voluit celebrare iugalis.
Qui postquam niveis flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae,
Cum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum conplectens undique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora,
Annoso niveae residebant vertice vittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeva colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leviter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti versabat turbine fusum,
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,

Quae prius in levi fuerant extantia filo:
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Haec tum clarisona pectentes vellera voce
Talia divino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.

O decus eximium magnis virtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum. sed vos, quae fata sequuntur,
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Adveniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus, adveniet fausto cum sidere coniunx,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
Languidulosque paret tecum coniungere somnos,
Levia substernens robusto brachia collo.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nulla domus tales umquam conexit amores,
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flammea praevertet celeris vestigia cervae.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine † tenen,
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Illius egregias virtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cum in cinerem canos solvent a vertice crines
Putridaque infirmis variabunt pectora palmis.
  Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Namque velut densas praecerpens cultor aristas
Sole sub ardenti flaventia demetit arva,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Testis erit magnis virtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter caesis angustans corporum acervis
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Denique testis erit morti quoque reddita praeda,
Cum terrae ex celso coacervatum aggere bustum
Excipiet niveos percussae virginis artus.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achivis
Vrbis Dardaniae Neptunia solvere vincla,
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra,
Quae, velut ancipiti succumbens victima ferro,
Proiciet truncum submisso poplite corpus.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Quare agite optatos animi coniungite amores.
Accipiat coniunx felici foedere divam,
Dedatur cupido iandudum nupta marito.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Non illam nutrix orienti luce revisens
Hesterno collum poterit circumdare filo,
[Currite ducentes subtegmina, currite, fusi]
Anxia nec mater discordis maesta puellae
Secubitu caros mittet sperare nepotes.
   Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.

Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina divino cecinerunt pectore Parcae.
Praesentes namque ante domos invisere castas
Heroum et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.
Saepe pater divom templo in fulgente residens,
Annua cum festis venissent sacra diebus,

Conspexit terra centum procumbere tauros.
Saepe vagus Liber Parnasi vertice summo
Thyiadas effusis euhantes crinibus egit.

* * *

Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti divom fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mavors
Aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia virgo
Armatas hominumst praesens hortata catervas.
Sed postquam tellus scelerest imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore novercae,
Ignaro mater substernens se inpia nato
Inpia non veritast divos scelerare penates:
Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Iustificam nobis mentem avertere deorum.
Quare nec tales dignantur visere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

LXV.

Etsi me adsiduo confectum cura dolore
Sevocat a doctis, Ortale, virginibus,
Nec potisest dulces Musarum expromere fetus
Mens animi, (tantis fluctuat ipsa malis:
Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans adluit unda pedem,
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.

* * *

Adloquar, audiero numquam tua *facta* loquentem,
Numquam ego te, vita frater amabilior,
Aspiciam posthac. at certe semper amabo,
Semper maesta tua carmina morte canam,

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Itylei) —
Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta vagis nequiquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,
Vt missum sponsi furtivo munere malum
Procurrit casto virginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub veste locatum,
Dum adventu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

LXVI.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
Qui stellarum ortus comperit atque obitus,
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
Vt cedant certis sidera temporibus,
Vt Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devocet aerio,
Idem me ille Conon caelesti in lumine vidit
E Beroniceo vertice caesariem
Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
Levia protendens brachia pollicitast,
Qua rex tempestate novo auctus hymenaeo
Vastatum finis iverat Assyrios,
Dulcia nocturnae portans vestigia rixae,
Quam de virgineis gesserat exuviis.
Estne novis nuptis odio venus? anne parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,
Vbertim thalami quas intra lumina fundunt?
Non, ita me divi, vera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querellis
Invisente novo praelia torva viro.
An tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium?
Quam penitus maestas excedit cura medullas!

Vt tibi tum toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! at te ego certe
Cognoram a parva virgine magnanimam.
Anne bonum oblita's facinus, quo regium adepta's
Coniugium, quo non fortius ausit alis?
Sed tum maesta virum mittens quae verba locuta's!
Iuppiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutavit tantus deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse volunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge divis
Non sine taurino sanguine pollicita's,
Sei reditum tetulisset. is haut in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Quis ego pro factis caelesti reddita coetu
Pristina vota novo munere dissoluo.
Invita, o regina, tuo de vertice cessi,
Invita: adiuro teque tuomque caput,
Digna ferat quod siquis inaniter adiurarit:
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque eversus mons est, quem maximum in orbi
Progenies Thiae clara supervehitur,
Cum Medi peperere novom mare, cumque iuventus
Per medium classi barbara navit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Iuppiter, ut Chalybon omne genus pereat,
Et qui principio sub terra quaerere venas
Institit ac ferri frangere duritiem!
Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Vnigena inpellens nictantibus aera pennis
Obtulit Arsinoes Locridos ales equos,
Isque per aetherias me tollens avolat umbras
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Graia Canopieis incola litoribus.
† Hi dii ven ibi vario ne solum in lumine caeli
Ex Ariadneis aurea temporibus

Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Devotae flavi verticis exuviae,
Vvidulam a fletu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diva novom posuit:
Virginis et saevi contingens namque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt vestigia divom,
Lux autem canae Tethyi restituit,
(Pace tua fari hic liceat, Rhamnusia virgo,
Namque ego non ullo vera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quin verei pectoris evoluam):
Non his tam laetor rebus, quam me afore semper,
Afore me a dominae vertice discrucior,
Quicum ego, dum virgo curis fuit omnibus expers,
Vnguenti Suriei milia multa bibi.
Nunc vos, optato quom iunxit lumine taeda,
Non prius unanimis corpora coniugibus
Tradite nudantes reiecta veste papillas,
Quam iocunda mihi munera libet onyx,
Voster onyx, casto petitis quae iura cubili.
Sed quae se inpuro dedit adulterio,
Illius a mala dona levis bibat irrita pulvis:
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sed magis, o nuptae, semper concordia vostras
Semper amor sedes incolat adsiduos.
Tu vero, regina, tuens cum sidera divam
Placabis festis luminibus Venerem,
Vnguinis expertem non siris esse tuam me,
Sed potius largis adfice muneribus.
Sidera corruerent utinam! coma regia fiam:
Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion!

LXVII.

O dulci iocunda viro, iocunda parenti,
Salve, teque bona Iuppiter auctet ope,
Ianua, quam Balbo dicunt servisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit,
Quamque ferunt rursus voto servisse maligno,
Postquam es porrecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.
'Non (ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum)
Culpa meast, quamquam dicitur esse mea,
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam:
Verum istud populi fabula, Quinte, facit,
Qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
Ad me omnes clamant: ianua, culpa tuast.'
Non istuc satis est uno te dicere verbo,
Sed facere ut quivis sentiat et videat.
'Qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.'
Nos volumus: nobis dicere ne dubita.
'Primum igitur, virgo quod fertur tradita nobis,
Falsumst. non illam vir prior attigerit,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
Numquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius gnati violasse cubile
Dicitur et miseram conscelerasse domum,
Sive quod inpia mens caeco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat,
Et quaerendus is unde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam.'
Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
Atqui non solum hoc se dicit cognitum habere
Brixia Cycneae supposita speculae,
Flavos quam molli percurrit flumine Mella,
Brixia Veronae mater amata meae.
'Et de Postumio et Corneli narrat amore,

Cum quibus illa malum fecit adulterium.'
Dixerit hic aliquis: qui tu isthaec, ianua, nosti?
Cui numquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare, sed heic suffixa tigillo
Tantum operire soles aut aperire domum?
'Saepe illam audivi furtiva voce loquentem
Solam cum ancillis haec sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus, ut pote quae mi
Speraret nec linguam esse nec auriculam.
Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homost, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.'

LXVIII.

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
Sublevem et a mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musae
Oblectant, cum mens anxia pervigilat,
Id gratumst mihi, me quoniam tibi dicis amicum,
Muneraque et Musarum hinc petis et Veneris:
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Mani,
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum vestis mihi tradita purast,
Iocundum cum aetas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiem:
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. o misero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
Tecum una totast nostra sepulta domus,

Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quae tuos in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugavi
  Haec studia atque omnis delicias animi.
Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
  Esse, quod hic quivis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili,
  Id, Mani, non est turpe, magis miserumst.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
  Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magnast copia apud me,
  Hoc fit, quod Romae vivimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
  Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
  Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia factast:
  Vltro ego deferrem, copia siqua foret.
Non possum reticere, deae, qua me Allius in re
  Iuverit aut quantis iuverit officiis:
Nec fugiens saeclis obliviscentibus aetas
  Illius hoc caeca nocte tegat studium:
Sed dicam vobis, vos porro dicite multis
  Milibus et facite haec charta loquatur anus
. . . .
  Notescatque magis mortuos atque magis,
Nec tenuem texens sublimis aranea telam
  In deserto Alli nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathusia curam,
  Scitis, et in quo me corruerit genere,
Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
  Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
Maesta neque adsiduo tabescere lumina fletu
  Cessarent tristique imbre madere genae.
Qualis in aerii perlucens vertice montis
  Rivos muscoso prosilit e lapide,
Qui cum de prona praeceps est valle volutus,

Per medium sensim transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore levamen,
  Cum gravis exustos aestus hiulcat agros:
Hic, velut in nigro iactatis turbine nautis
  Lenius aspirans aura secunda venit
Iam prece Pollucis, iam Castoris inplorata,
  Tale fuit nobis Manius auxilium.
Is clusum lato patefecit limite campum,
  Isque domum nobis isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.
  Quo mea se molli candida diva pede
Intulit et trito fulgentem in limine plantam
  Innixa arguta constituit solea,
Coniugis ut quondam flagrans advenit amore
  Protesilaeam Laudamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
  Hostia caelestis pacificasset eros.
Nil mihi tam valde placeat, Rhamnusia virgo,
  Quod temere invitis suscipiatur eris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
  Doctast amisso Laudamia viro,
Coniugis ante coacta novi dimittere collum,
  Quam veniens una atque altera rursus hiemps
Noctibus in longis avidum saturasset amorem,
  Posset ut abrupto vivere coniugio,
Quod scirant Parcae non longo tempore adesse,
  Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenae raptu primores Argivorum
  Coeperat ad sese Troia ciere viros,
Troia (nefas) commune sepulcrum Asiae Europaeque,
  Troia virum et virtutum omnium acerba cinis,
Quaene etiam nostro letum miserabile fratri
  Attulit. ei misero frater adempte mihi,
Ei misero fratri iocundum lumen ademptum,
  Tecum una totast nostra sepulta domus,
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
  Quae tuos in vita dulcis alebat amor.

Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
  Nec prope cognatos conpositum cineres,
Sed Troia obscaena, Troia infelice sepultum
  Detinet extremo terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur *simul* undique pubes
  Graeca penetrales deseruisse focos,
Ne Paris abducta gavisus libera moecha
  Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia,
  Ereptumst vita dulcius atque anima
Coniugium: tanto te absorbens vertice amoris
  Aestus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum
  Siccare emulsa pingue palude solum,
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
  Audit falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
  Perculit imperio deterioris eri,
Pluribus ut caeli tereretur ianua divis,
  Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuos altus amor barathro fuit altior illo,
  Qui durum domitam ferre iugum docuit:
Nam nec tam carum confecto aetate parenti
  Vna caput seri nata nepotis alit,
Qui, cum divitiis vix tandem inventus avitis
  Nomen testátas intulit in tabulas,
Inpia derisi gentilis gaudia tollens
  Suscitat a cano volturium capiti:
Nec tantum niveo gavisast ulla columbo
  Conpar, quae multo dicitur inprobius
Oscula mordenti semper decerpere rostro,
  Quam quae praecipue multivolast mulier.
Sed tu horum magnos vicisti sola furores,
  Vt semel es flavo conciliata viro.
Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna
  Lux mea se nostrum contulit in gremium,
Quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido

Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quae tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundae furta feremus erae,
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
Coniugis in culpa flagrantem conquoquit iram,
Noscens omnivoli plurima furta Iovis.
Atquei nec divis homines conponier aequomst,
. . . .
. . . .
Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio venit odore domum,
Sed furtiva dedit muta munuscula nocte,
Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis is datur unis,
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi, qua potui, confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis,
Ne vostrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.
Huc addent divi quam plurima, quae Themis olim
Antiquis solitast munera ferre piis:
Sitis felices et tu simul et tua vita
Et domus, ipsi in qua lusimus et domina,
Et qui principio nobis te tradidit Anser,
A quo sunt primo mi omnia nata bona.
Et longe ante omnes mihi quae me carior ipsost,
Lux mea, qua viva vivere dulce mihist.

LXVIIII.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, velit tenerum supposuisse femur,
Non si illam rarae labefactes munere vestis
Aut perluciduli deliciis lapidis.
Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Hunc metuunt omnes. neque mirum: nam mala valdest
Bestia, nec quicum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine cur fugiunt.

LXX.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi, non si se Iuppiter ipse petat.
Dicit: sed mulier cupido quod dicit amanti,
In vento et rapida scribere oportet aqua.

LXXI.

Siquoi iure bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut siquem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuos, qui vostrum exercet amorem,
Mirificost fato nactus utrumque malum.
Nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
Illam adfligit odore, ipse perit podagra.

LXXII.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec prae me velle tenere Iovem.
Dilexi tum te non tantum ut volgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognovi: quare etsi inpensius uror,
Multo mi tamen es vilior et levior.
Qui potisest? inquis. quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene velle minus.

LXXIII.

Desine de quoquam quicquam bene velle mereri
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne

Prodest, immo etiam taedet obestque magis
Vt mihi, quem nemo gravius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

LXXIIII.

Gellius audierat patruom obiurgare solere,
Siquis delicias diceret aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Vxorem et patruom reddidit Harpocratem.
Quod voluit fecit: nam, quamvis inrumet ipsum
Nunc patruom, verbum non faciet patruos.

LXXVII.

Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amico
(Frustra? immo magno cum pretio atque malo),
Sicine subrepsti mei, atque intestina perurens
Ei misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti, heu heu nostrae crudele venenum
Vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.
Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Savia conminxit spurca saliva tua.
Verum id non inpune feres: nam te omnia saecla
Noscent, et qui sis fama loquetur anus.

LXXVIII.

Gallus habet fratres, quorumst lepidissima coniunx
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homost bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homost stultus nec se videt esse maritum,
Qui patruos patrui monstret adulterium.

LXXVIIII.

Lesbius est pulcher: quid ni? quem Lesbia malit
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria notorum savia reppererit.

LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora nive,
Mane domo cum exis et cum te octava quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescioquid certest: an vere fama susurrat
Grandia te medii tenta vorare viri?
Sic certest: clamant Victoris rupta miselli
Ilia, et emulso labra notata sero.

LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda a sede Pisauri
Hospes inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordist, quem tu praeponere nobis
Audes, et nescis quod facinus facias.

LXXXII.

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum
Aut aliud siquid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis seu quid carius est oculis.

LXXXIII.

Lesbia mi praesente viro mala plurima dicit:
Haec illi fatuo maxima laetitiast.

Mule, nihil sentis. si nostri oblita taceret,
Sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,
Non solum meminit, sed quae multo acrior est res
Iratast. Hoc est, uritur et coquitur.

LXXXIIII.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, et insidias Arrius hinsidias,
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum quantum poterat dixerat hinsidias.
Credo, sic mater, sic Liber avonculus eius,
Sic maternus avos dixerat atque avia.
Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
Audibant eadem haec leniter et leviter,
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito adfertur nuntius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXVI.

Quintia formosast multis, mihi candida, longa,
Rectast. haec ego sic singula confiteor,
Totum illud formosa nego: nam nulla venustas,
Nulla in tam magnost corpore mica salis.
Lesbia formosast, quae cum pulcherrima totast,
Tum omnibus una omnes surripuit Veneres.

LXXXVII.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea's.

Nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta,
  Quanta in amore tuo ex parte reperta meast.
Nunc est mens diducta tua, mea Lesbia, culpa, LXXV
  Atque ita se officio perdidit ipsa suo,
Vt iam nec bene velle queat tibi, si optima fias,
  Nec desistere amare, omnia si facias.

LXXVI.

Siqua recordanti benefacta priora voluptas
  Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec foedere in ullo
  Divom ad fallendos numine abusum homines,
Multa parata manent in longa aetate, Catulle,
  Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere possunt
  Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt;
Omniaque ingratae perierunt credita menti.
  Quare iam te cur amplius excrucies?
Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis
  Et dis invitis desinis esse miser?
Difficilest longum subito deponere amorem.
  Difficilest, verum hoc qua lubet efficias.
Vna salus haec est, hoc est tibi pervincendum:
  Hoc facias, sive id non pote sive pote.
O di, si vestrumst misereri, aut si quibus umquam
  Extremam iam ipsa morte tulistis opem,
Me miserum aspicite (et, si vitam puriter egi,
  Eripite hanc pestem perniciemque mihi),
Ei mihi surrepens imos ut torpor in artus
  Expulit ex omni pectore laetitias.
Non iam illud quaero, contra me ut diligat illa,
  Aut, quod non potisest, esse pudica velit:
Ipse valere opto et taetrum hunc deponere morbum.
  O di, reddite mi hoc pro pietate mea.

LXXXVIII.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit et abiectis pervigilat tunicis?
Quid facit is, patruom qui non sinit esse maritum?
Ecqui scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys
Nec genitor lympharum abluit Oceanus:
Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
Non si demisso se ipse voret capite.

LXXXVIIII.

Gellius est tenuis: quid ni? cui tam bona mater
Tamque valens vivat tamque venusta soror
Tamque bonus patruos tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingit, nisi quod fas tangere non est,
Quantumvis quare sit macer invenies.

LXXXX.

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
Coniugio et discat Persicum aruspicium:
Nam magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si verast Persarum inpia relligio,
Navos ut accepto veneretur carmine divos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

LXXXXI.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore,
Quod te cognossem bene constantemve putarem
Aut posse a turpi mentem inhibere probro,
Sed neque quod matrem nec germanam esse videbam

Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor.
Et quamvis tecum multo coniungerer usu,
Non satis id causae credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
Culpast, in quacumque est aliquid sceleris.

LXXXXII.

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam
De me: Lesbia me dispeream nisi amat.
Quo signo? quia sunt † totidem mea: deprecor illam
Adsidue, verum dispeream nisi amo.

LXXXXIII.

Nil nimium studeo Caesar tibi belle placere,
Nec scire utrum sis albus an ater homo.

LXXXXIIII.

Mentula moechatur. moechatur mentula: certe.
Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

LXXXXV.

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coeptast nonamque edita post hiemem,
Milia cum interea quingenta Hortensius uno
. . . .
Zmyrna cavas Satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula pervoluent.
At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parva mei mihi sint cordi monumenta *sodalis*,
At populus tumido gaudeat Antimacho.

LXXXXVI.

Si quicquam mutis gratum acceptumve sepulcris
Accidere a nostro, Calve, dolore potest,
Quo desiderio veteres renovamus amores
Atque olim missas flemus amicitias,
Certe non tanto mors inmatura dolorist
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

LXXXXVII.

Non (ita me di ament) quicquam referre putavi,
Vtrumne os an culum olfacerem Aemilio.
Nilo mundius hoc, niloque immundior ille,
Verum etiam culus mundior et melior:
Nam sine dentibus est: dentes os sesquipedales,
Gingivas vero ploxeni habet veteris,
Praeterea rictum qualem diffissus in aestu
Meientis mulae cunnus habere solet.
Hic futuit multas et se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur atque asino?
Quem siqua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

LXXXXVIII.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Victi,
Id quod verbosis dicitur et fatuis.
Ista cum lingua, si usus veniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carpatinas.
Si nos omnino vis omnes perdere, Victi,
Hiscas: omnino quod cupis efficies.

LXXXXVIIII.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuventi,
Suaviolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non inpune tuli: namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce,

Dum tibi me purgo nec possum fletibus ullis
Tantillum vostrae demere saevitiae.
Nam simul id factumst, multis diluta labella
Abstersti guttis omnibus articulis,
Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam conmictae spurca saliva lupae.
Praeterea infesto miserum me tradere Amori
Non cessasti omnique excruciare modo,
Vt mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
Suaviolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam poenam misero proponis amori,
Numquam iam posthac basia surripiam.

C.

Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam
Flos Veronensum depereunt iuvenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Cui faveam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis
Per facta exhibitast unica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Caeli, sis in amore potens.

CI.

Multas per gentes et multa per aequora vectus
Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Vt te postremo donarem munere mortis
Et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.

* * *

Nunc tamen interea haec prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuom, frater, ave atque vale.

CII.

Si quicquam tacito conmissumst fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Meque esse invenies illorum iure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

CIII.

Aut, sodes, mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamvis saevus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse atque idem saevus et indomitus.

CIIII.

Credis me potuisse meae maledicere vitae,
Ambobus mihi quae carior est oculis?
Non potui, nec si possem tam perdite amarem:
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CV.

Mentula conatur Pipleum scandere montem:
Musae furcillis praecipitem eiciunt.

CVI.

Cum puero bello praeconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

CVII.

Siquoi quid cupido optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobisque est carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido,
Restituis cupido atque insperanti ipsa refers te.

Nobis o lucem candidiore nota!
Quis me uno vivit felicior, aut magis hac res
Optandas vita dicere quis poterit?

CVIII.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata inpuris moribus intereat,
Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua execta avido sit data volturio,
Effossos oculos voret atro gutture corvos,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CVIIII.

Iocundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum internos perpetuomque fore.
Di magni, facite ut vere promittere possit,
Atque id sincere dicat et ex animo,
Vt liceat nobis tota producere vita
Alternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CX.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
Accipiunt pretium, quae facere instituunt.
Tu quod promisti, mihi quod mentita inimica's,
Quod nec das et fers saepe, facis facinus.
Aut facere ingenuaest, aut non promisse pudicae,
Aufilena, fuit: sed data corripere
Fraudando † efficit plus quam meretricis avarae,
Quae sese toto corpore prostituit.

CXI.

Aufilena, viro contentam vivere solo,
Nuptarum laus e laudibus eximiis:

Sed cuivis quamvis potius succumbere par est,
Quam matrem fratres *efficere* ex patruo.

CXII.

Multus homo es Naso, neque tecum multus homost qui
Descendit: Naso, multus es et pathicus.

CXIII.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Mucillam: facto consule nunc iterum
Manserunt duo, sed creverunt milia in unum
Singula. fecundum semen adulterio.

CXIIII.

Firmano saltu non falso Mentula dives
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupium, omne genus piscis, prata, arva ferasque.
Nequiquam: fructus sumptibus exuperat.
Quare concedo sit dives, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo *eo* ipse egeat.

CXV.

Mentula habes instar triginta iugera prati,
Quadraginta arvi: cetera sunt maria.
Cur non divitiis Croesum superare potissit
Vno qui in saltu totmoda possideat,
Prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque
Vsque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
Omnia magna haec sunt, tamen ipse's maximus ultro,
Non homo, sed vero mentula magna minax.

CXVI.

Saepe tibi studioso animo venante requirens
  Carmina uti possem mittere Battiadae,
Qui te lenirem nobis, neu conarere
  Telis infestis icere mi usque caput,
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
  Gelli, nec nostras hic valuisse preces.
Contra nos tela ista tua evitamus amictu:
  At fixus nostris tu dabi' supplicium.

FRAGMENTA.

1. at non effugies meos iambos.

Porph. ad Hor. c. I, 16, 24: iambici autem versus aptissimi habentur ad maledicendum. * * * denique et Catullus cum maledicta minaretur sic ait e. q. s. — E Porphyrionis commentis fluxit hic v. in anthologiam Cusanam [pg. 110 ed. Klein.].

2. hunc lucum tibi dedico consecroque Priape,
qua domus tua Lampsacist quaque *silva* Priape.
nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia ceteris ostriosior oris.

Ter. Maur. v. 2755 sqq. affert haec ad exemplum metri Priapei: eiusdem demonstrandi causa promunt primum versum Atilius Fortunatianus pg. 2675. 2676. 2697; Pseudocensorinus 2727; Marius Victorinus 2567. 2598. 2600, qui et illa 'nam te praecipue in suis' et 'Hellespontia ceteris' memorat pg. 2599. V. 2 id quod est 'silva' verissime supplevit Scaliger. Nota in finibus numerorum recurrentia illa Priape Priape et ora oris.

3. – ⏑ – ⏑ ⏑ de mero ligurrire libidost.

Non. pg. 134: ligurrire degustare unde Catullus Priapeo e. q. s. 'Priapeo' Lachmannus, 'Priopo' libri; 'mero' ego, 'meo' v.

4. [⏑ – ⏑ – et Lario inminens Comum.]

Haec ex cod. Vibii Sequestris [Mus. Brit. Add. Mss. 16986, saec. XV] affert Ellissius, cuius ipsa fere appono verba: post illa 'in athamatia lacus lune tenuia ligna accendit ex quo bibens aut insanit aut sopitur' [pg. 12 Burs.] haec habet liber minoribus litteris tanquam perscripta pagina addita, incertum an ab eadem manu: lacus (leg. Larius) Comi, Catullus et L. iminens (inminens Ellissius) C. — Haec etsi apte hipponactei partem complent, tamen propter ea quae Bursianus in praef. de codicibus Vibii disseruit [pg. 12; cf. et. pg. 4 not. 2], vix aliud quam ex 35, 4 Cat. ab interpolatore novello ficta esse facile tibi persuadebis. Et ipse uncis inclusit Ellissius.

5. Verg. georg. II, 95: quo te carmine dicam, Rhaetica. Ad quae Servius haec adnotat 'hanc uvam Cato praecipue laudat in libris quos scripsit ad filium; contra Catullus eam vituperat et dicit nulli rei esse aptam miraturque cur eam laudaverit Cato. sciens ergo utrumque Vergilius medium tenuit dicens: q. t. c. d., Rh.'

6. Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proxumeque Vergili incantamentorum amatoria imitatio. Plin. nat. hist. XXVIII, 19.

7. sic sua lascivo cantatast saepe Catullo
femina, cui falsum Lesbia nomen erat,
nec contentus eo multos volgavit amores,
in quibus ipse suum fassus adulteriumst.

Hic quae secundo disticho produntur, certissime demonstrant etiam alia quam quae hodie extant carmina amatoria nec ea nimis pauca in Catulli libro legisse Nasonem.

8. Hinc etiam Catullus cavĕre dixit. Serv. ad aen. III, 409. ita plurimi fervĕre lavĕre.

9. Notandum sane etiam de Iride arcum genere masculino dicere Vergilium: Catullus et alii genere feminino ponunt referentes ad originem, sicut haec Attis et haec Gallus legimus. Serv. ad aen. V, 609.

Alia autem quaedam aliena a Catullo ut parcamus chartae hic addere non vacat, cum praesertim facili opera inveniantur apud Schwabium s. n. IIII. VI. VII. XIII. Praeterea videnda quae notavimus ad LXIIII 107 et 235.

A. PERSII FLACCI

SATIRARUM LIBER.

EX RECENSIONE

CAROLI FRIDERICI HERMANNI.



LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXII.

4. [⏑ – ⏑ – et Lario inminens Comum.]

Haec ex cod. Vibii Sequestris [Mus. Brit. Add. Mss. 16986, saec. XV] affert Ellissius, cuius ipsa fere appono verba: post illa 'in athamatia lacus lune tenuia ligna accendit ex quo bibens aut insanit aut sopitur' [pg. 12 Burs.] haec habet liber minoribus litteris tanquam perscripta pagina addita, incertum an ab eadem manu: lacus (leg. Larius) Comi, Catullus et L. iminens (inminens Ellissius) C. — Haec etsi apte hipponactei partem complent, tamen propter ea quae Bursianus in praef. de codicibus Vibii disseruit [pg. 12; cf. et. pg. 4 not. 2], vix aliud quam ex 35, 4 Cat. ab interpolatore novello ficta esse facile tibi persuadebis. Et ipse uncis inclusit Ellissius.

5. Verg. georg. II, 95: quo te carmine dicam, Rhaetica. Ad quae Servius haec adnotat 'hanc uvam Cato praecipue laudat in libris quos scripsit ad filium; contra Catullus eam vituperat et dicit nulli rei esse aptam miraturque cur eam laudaverit Cato. sciens ergo utrumque Vergilius medium tenuit dicens: q. t. c. d., Rh.'

6. Hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proxumeque Vergili incantamentorum amatoria imitatio. Plin. nat. hist. XXVIII, 19.

7. sic sua lascivo cantatast saepe Catullo
femina, cui falsum Lesbia nomen erat,
nec contentus eo multos volgavit amores,
in quibus ipse suum fassus adulteriumst.

Hic quae secundo disticho produntur, certissime demonstrant etiam alia quam quae hodie extant carmina amatoria nec ea nimis pauca in Catulli libro legisse Nasonem.

8. Hinc etiam Catullus cavĕre dixit. Serv. ad aen. III, 409. ita plurimi fervĕre lavĕre.

9. Notandum sane etiam de Iride arcum genere masculino dicere Vergilium: Catullus et alii genere feminino ponunt referentes ad originem, sicut haec Attis et haec Gallus legimus. Serv. ad aen. V, 609.

Alia autem quaedam aliena a Catullo ut parcamus chartae hic addere non vacat, cum praesertim facili opera inveniantur apud Schwabium s. n. IIII. VI. VII. XIII. Praeterea videnda quae notavimus ad LXIIII 107 et 235.

A. PERSII FLACCI

SATIRARUM LIBER.

EX RECENSIONE

CAROLI FRIDERICI HERMANNI.



LIPSIAE

SUMPTIBUS ET TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXII.

GODOFREDO BERNHARDY

VIRO ILLUSTRISSIMO

HUNC LIBELLUM

PROBARI CUPIT

EDITOR.

PRAEFATIO.

De Persio quidquid novimus fere habemus ex antiqua vita, quam codices *de commentario Probi Valerii sublatam* praedicant, alii fortasse ad Suetonii Tranquilli librum de viris illustribus referre malent, quem tamen ipsum Probum auctorem sequi potuisse O. Jahnius in Ritschel. Parerg. Plautin. p. 618 et Th. Mommsenius in Comm. Soc. lit. Lips. T. I, p. 677 docte monuerunt; hanc igitur presse secutus, quoniam etiam de poeta ipso novae Satirarum illius editioni aliquid praemitti redemtor honestissimus voluit, quae mihi praeterea ad hanc praefationem pertinere visa sunt, aut literarum formis distincta ipsis veteris grammatici verbis interposui aut ad finem quanta potui brevitate subjeci.

Natus igitur *est Aulus Persius Flaccus pridie Nonas Decembres Fabio Persico Lucio Vitellio consulibus*, qui annus erat p. Chr. n. 34, u. c. 787; *decessit VIII Kalendas Decembres Publio Mario Asinio Gallo consulibus*, id est p. Chr. n. 62, u. c. 815, unde ne duodetrigesimum quidem annum integrum eum complevisse intelligimus. *Natus est in Etruria Volaterris eques Romanus, sanguine et affinitate primi ordinis viris conjunctus*, quo ex genere non dubitamus quin etiam Lucilii ille aequalis fuerit, quem Catulus apud Cic. Orat. II. 6. 25 omnium suae aetatis hominum doctissimum appellat eidemque nonnulli, teste Cic. Brut. 26. 99, orationem a Fannio contra C. Gracchum habitam tribuebant; — *decessit* autem noster *ad octavum milliarium via Appia in praediis suis*, quae sunt qui Sat. VI. 55 respici putant, quanquam alia quoque in Etruriae contiguaeve Liguriae ora eum possedisse ex ejusdem satirae principio facile colligimus. *Pater ejus Flaccus pupillum reliquit moriens annorum fere sex*; *Fulvia Sisennia mater nupsit postea Fusio equiti Romano et eum quoque extulit intra*

paucos annos, unde probabile est nostrum in ipsis vitae primordiis domesticis calamitatibus conflictatum variisque pueritiae suae rectoribus usum, mox destitutum, prius quam alii solent ad eam ingenii maturitatem pervenisse, quam in adolescentuli satiris non sine admiratione deprehendimus. *Studuit Flaccus usque ad annum duodecimum aetatis suae Volaterris; deinde Romae apud grammaticum Remmium Palaemonem*, quem Sueton. Ill. gramm. 23 principem in sua professione locum tenuisse testatur; *et apud rhetorem Verginium Flavum*, etiam Quintiliano passim commemoratum quemque Tacitus Ann. XV. 71, quia studia juvenum eloquentia fovisset, propter claritudinem nominis simul cum Musonio a Nerone urbe pulsum esse tradit. Sed et illius exilium post mortem demum Persii contigit et *L. Annaei Cornuti*, cujus hic, *quum esset annorum sedecim*, *ita amicitia uti coepit*, *ut ab eo nusquam discederet; a quo* quod vitae scriptor eum *inductum aliquatenus in philosophiam esse* ait, ipse Persius in quintae satirae principio cum tanta pietatis et grati animi testificatione confirmat, ut huic inter omnes poetici ardoris principatus concedi debeat. De ipso Cornuto pluribus disseruerunt et Ger. Joa. de Martini in Spec. inaug. Lugd. 1825. 8. et Fr. Osannus in Praef. libri de natura deorum ab ipso Gottingae 1844 editi: quorum in disputationibus hoc tantum miror, quod hominis Leptitani verum nomen Cornutum fuisse arbitrati sunt Phurnutumque, quem passim et Scholia et codices praebent, adeo spreverunt, ut hanc nominis formam ex solo pronunciandi vitio librariorumve errore repeterent; equidem ubi frequentem vocalis u in oppidis Africae usum reputo, prorsus mihi persuadeo Afrum origine Phurnutum potius appellatum esse, donec in civitatem Romanam Annaeorumque gentem receptus barbaram vocem in latinae speciem converteret eodem exemplo, quo principem Apostolorum Hebraeo nomine Saulum, Romano Paulum fuisse constat. Quae autem in ipsius nostrae vitae codicibus mox incommodo loco inserta leguntur: *nam Cornutus illo tempore tragicus fuit sectae poeticae, qui libros philosophiae reliquit*, tam inepta sunt, ut eliminari ea cum Bergkio in Zeitschr. f. Alterth. 1845, p.

125, quam emendatricem operam ludi satius esse videatur; mihi certe nec *grammaticum* pro *tragico* Prellerus ibid. 1846, p. 43, nec *tempore tragico* Osannus in Philol. T. II, p. 384 probavit, utque concedam tragicum poetam Cornutum cum Welckero griech. Tragoed. p. 1457 haberi vix posse, illud tamen, quod rei unice convenire jam Pithoeus intellexit, quomodo cum literarum vestigiis conciliem, aegre invenio. Nimirum *Stoicae* sectae magister Cornutus fuit eaque disciplina etiam Persium ita imbuit, ut neque hujus satiras sine illius philosophiae notitia intelligere possis neque Stoicae doctrinae sinceriorem interpretem facile invenias; immo plurimas ejus disputationes propius ad scholae praecepta quam ad ipsius vitae usum accedere haud immerito dixeris, utque sermonem Persii innumeris in locis ad Horatii imitationem conformatum esse docta Casauboni sollertia comprobavit, ita sententias plerasque iisdem paene verbis apud Epictetum aliosque auctores Stoicos redire ejusdem commentarii manifesto arguunt. Quod non in obtrectationem vel invidiam Persio conflandam dictum esto, tanquam aliena magis quam sui ingenii virtute poeticam laudem adeptus sit; cujus ingenuus fervor et vehementia summis quibusque ausibus apta hac ipsa re apparet, quod etiam quae extrinsecus acceperat, ita in succum et sanguinem convertit, ut nisi aliunde edocti omnia ipsius inventa existimaremus; hoc tamen salvo ejus honore contendere mihi videor, poetam illum a natura, satiricum ab arte potius et schola factum esse.

Sed ut ex diverticulo in viam redeam, *amicos* Persius *habuit a prima adolescentia Caesium Bassum poetam*, quem solum Quintilianus X. 1. 96 dignum judicavit qui Horatio adjiceretur, *et Calpurnium Staturam* vel ut Casaubonus maluit *Suram*, *qui vivo eo juvenis decessit*, idem tamen, si Sarpium audimus Quaest. philol. p. 11 sqq., eclogarum scriptor, quae nunc Calpurnii Siculi nomine feruntur, quanquam id commentum nuper idoneis argumentis impugnatum est; *coluit* autem *ut patrem Servilium Nonianum*, principem civitatis, ut appellatur a Plinio N. Histor. XXVIII. 5, quem et morum probitate et dicendi facultate inte

paucos clarum certatim veteres laudibus suis extulerunt, cf. Quintil. X. 1. 102, Plin. Epist. I. 13. 7, Tac. Ann. XIV. 19 etc., eidemque, ut videtur, Plotii Macrini notitiam debuit, *hominis sane eruditi*, ut Scholiastae verbis utar ad Sat. II. initium, quae satira ipsi Macrino dedicata est, *paternoque se affectu diligentis, qui in domo Servilii didicerat, a quo agellum comparaverat indulto sibi pretio aliquanto.* Praeterea *cognovit per Cornutum etiam Annaeum Lucanum*, Pharsaliae scriptorem notissimum, *aequaevum auditorem Cornuti; sed* quamvis suppar aetate *Lucanus*, quem p. Chr. a. 38 natum fuisse constat, *adeo mirabatur scripta Flacci*, ut — si recte Prellerus l. c. grammatici verba ex librorum vestigiis restituit — *vix retineret se recitantem a clamore, quin illa esse vera poëmata diceret, sua ipse ludificaret* (vel *suos* sc. versus *ludos faceret*). *Sero cognovit et Senecam, sed non ut caperetur ejus ingenio*, quod ut in adolescente Stoicae sectae et ipso dedito mirum videri possit, propius intuenti magnam et incorruptam hujus judicii sanitatem approbabit, ut qui jam tum intellexerit, quod posteri de Seneca judicarunt, in scriptis ejus res atque sententias aut inepto inanique impetu esse aut levi et quasi dicaci argutia, eruditionem autem vernaculam et plebejam nihilque ex veterum scriptis habentem neque gratiae neque dignitatis, cf. Gell. N. Att. XII. 2. Denique *usus est apud Cornutum duorum convictu virorum et doctissimorum et sanctissimorum acriter tum philosophantium, Claudii Agathini* (ita enim Osannus p. XVIII librorum lectionem *Agaturrini* docte emendavit) *medici Lacedaemonii et Petronii Aristocratis Magnetis, quos unice miratus est et aemulatus, quum aequales essent, Cornuti minores* id est discipuli *et ipsi. Idem etiam decem fere annos summe dilectus a Paeto Thrasea est, ita ut peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam ejus Arriam habente uxorem*, filiam illius, quae marito exemplum mortis simul et solatium fuit, cf. Plin. Epist. III. 11 et 16 deque ipso Thrasea praeter alios multos Wexium ad Tacit. Agric. p. 210 et Schmidt Gesch. d. Denk- und Glaubensfreiheit im ersten Jahrh. p. 352 sqq.

Haec hactenus de adolescentia Persii et familiaribus,

quorum omnium eam conditionem atque indolem fuisse apparet, ut illorum consuetudine morum ejus candor simul cum mentis acumine aleretur, temporum autem depravationi eum eo infestiorem reddi necesse esset, quo rariora haec exempla in tanta scelerum omnis generis fertilitate ad eam perfectae et absolutae virtutis imaginem accedere videret, quam ex Stoica disciplina imbibisset; eoque solo pacto explicatur, quomodo adolescens jam ad tantum vitae communis fastidium pervenire potuerit, ut poeticam facultatem, quae in ipso esset, ad satiras potissimum scribendas, hoc est ad illud poesis genus conferre vellet, quod, ut ipse profitetur, indignationis evomendae magis quam lectorum alliciendorum causa capesseretur. Ipse enim, si vitae scriptorem sequimur, *fuit morum lenissimorum*, *verecundiae virginalis*, *formae pulchrae*, *pietatis erga matrem et sororem et amitam exemplo sufficientis*, idem *frugi et pudicus*; qui ubi *circa HS vicies matri et sorori reliquit*, *scriptis tantum ad matrem codicillis Cornuto rogavit ut daret sestertia*, *ut quidam*, *centum*, *ut alii volunt*, *argenti facti pondera viginti*, *et libros circa septingentos Chrysippi* — tot enim hunc revera scripsisse testatur etiam Diog. L. VII. 180 — *sive bibliothecam suam omnem; verum a Cornuto sublatis libris pecuniam*, *sororibus*, *quas frater heredes fecerat*, *reliquit.* Ita codices, quorum in lectione si quid offendit, scriptoris negligentiae tribuendum esse videtur; nunc demum haud scio an sententiarum ordo antiquus turbatus sit, neque statim ad scripta Persii transilire sed ita velut transitum munire debeamus, ut quae vulgo in fine demum leguntur, huc transferamus: *decessit autem vitio stomachi anno aetatis tricesimo*, nimirum ex vetere computandi more, quo numerorum termini utrimque tanquam integri comprehenduntur, nisi haec quoque emendando ad accuratiorem numerum, quem supra posui, revocare praestat. Adolescentis certe mortem describi sequentia docent, ubi grammaticus: *sed*, inquit, *mox ut a schola et magistris divertit*, *lecto libro Lucilii decimo vehementer satiras componere studuit: cujus libri principium imitatus est* — fortasse in ipsius satirae primae exordio, etsi illum versum Scholiasta de primo potius Lucilii translatum esse tradit — *sibi primo*, *mox omnibus*

detracturus, cum tanta recentium poetarum et oratorum insectatione, ut etiam Neronem illius temporis principem culpaverit, cujus versus in Neronem quum ita se haberet: auriculas asini Mida rex habet, in eum modum a Cornuto, ipso jam tum mortuo (sic Prellerus l. c. p. 44: codd. *ipso tantummodo*), *est emendatus: auriculas asini quis non habet? ne hoc Nero in se dictum arbitraretur.* Quanquam de ipsa hujus fabulae auctoritate si ex ea fide existimandum est, quae illi ex critica ejus loci quem spectat conditione accedere videatur, haud profecto magna existet nec multum abest, quin quidquid in his ad Sat. I. 121 pertineat, cum Breitingero et F. C. R. Rittero tanquam scioli commentum ex prava illius loci interpolatione petitum ab antiquae vitae corpore abscindenda et eliminanda esse censeam; cf. Lect. Pers. II, p. 11. Omnino nihil aut a Persii persona aut ab ipsius satirae indole et dignitate alienius cogitari potest, quam si quis illius aculeos, quod olim in quarta maxime satira, nuper etiam in aliis temptatum est, ab universa vitae humanae notatione ad tecta unius hominis ludibria detorqueat; quem etsi concedimus non reipublicae magis quam corruptelae sui saeculi principem et velut antesignanum ab hujus reprehensione eximi nec ipsum potuisse, Persio tamen nunquam eam injuriam faciemus, ut candidissimum adolescentem satiricae poesis gravitate ad libellos famosos abusum esse Luciliique et Horatii nomina venenatorum telorum officinae praefixisse credamus.

Longe vero alia causa est eorum quae ad totius libelli fortunam et originem pertinentia vulgo antecedunt, nec solum illud ipso satirarum habitu et orationis genere commendatur: *et raro et tarde scripsit;* sed etiam sequentia non est cur in dubitationem vocemus: *hunc ipsum librum imperfectum reliquit*, modo ita haec intelligamus, ut, si diutius vixisset, etiam plures eum satiras additurum fuisse statuamus, non ut ipsas quae exstant rudes et impolitas habitas esse existimemus. Id ipsum adeo est quod grammaticus *versus aliquot demptos esse* ait *ultimo libro, ut quasi finitus esset*, novae videlicet satirae principium, quod premere Cornutus, quam inchoatum et affectum publicare maluit. Hic enim, ut deinceps legimus, mortuo Persio li-

bellum *leviter retractavit et Caesio Basso petenti, ut ipse ederet, tradidit edendum;* quem jam tum carminibus editis clarum et conspicuum fuisse ipsius Persii appellatio in satirae sextae initio satis ostendit, neque hoc ipso argumento uti recuso ad tuendam lectionem v. 6 *egregius lusisse senex*, quam ex optimo codice Lugdunensi olim erutam etiam nunc in ordinem recipere non dubitavi. Quamvis enim Persii ab hujus adolescentia amicum fuisse Bassum modo legerimus, aequalem tamen Persii fuisse, quod plerique statuerunt, inde non sequitur; immo planissime grammaticus posterius demum ad aequales Persii familiares transit; Bassum, si jam tum poetae nomen meruerat, provectiorem aetate fuisse necesse est, sive maxime tunc, quum amicitiam cum Persio adolescentulo junxit, inter juvenes censebatur, hoc moriente facile quinquagesimum annum attigisse poterat, cui aetatis gradui Romani sine ulla dubitatione senectutem concesserunt, cf. Cic. Att. VI. 6, Horat. Satir. II. 1. 34, Liv. XXX. 30, Stat. Silv. IV. 9. 20. De aliis Persii scriptis quae grammaticus compererat, his verbis narrat: *scripserat etiam Flaccus in pueritia praetextam Vescio* — vel quocunque alio nomine haec fabula fuit, quam Heinrichius *Restionem*, Düntzerus *Decium*, Prellerus ex alius Scholii vestigiis *Nasicam*, proxime denique ad literarum ductus accedens Hertzius (philol. klin. Streifzug 1849, p. 27) ex Liv. IX. 25 *Vesciam* inscribi maluit — *et ὁδοιπορικῶν librum unum et paucos in socrum Thraseae, Arriam matrem, versus, quae se ante virum occiderat;* sed *ea omnia*, inquit, *auctor fuit Cornutus matri ejus ut aboleret*, idque consilium ratum fuisse vel inde apparet, quod jam proximae aetatis auctores unum tantum, quod nos quoque tenemus, sex satirarum volumen noverunt; cf. Quintil. X. 1. 94: *multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit*, et Martial. IV. 28. 7:

saepius in libro memoratur Persius uno,
quam levis in tota Marsus Amazonide.

At enim hunc, ut ait grammaticus, *editum librum continuo mirari et diripere homines coeperunt*, ejusque studii per omnia deinceps saecula propagati nobis quoque testes et codices sat multi antiquique et Scholia supersunt, quae et

Cornuti nomen immerito prae se ferunt, tamen ad eam aetatem ascendunt, quae non modo omnes quotquot exstant codices longe superet, sed etiam puriores genuinae antiquitatis fontes quam hi ipsi adire potuisse videatur. Nam quod Otto Jahnius in editione majore ipsam Scholiorum auctoritatem adeo elevare conatus est, ut ea ad undecimi usque saeculi ineptias deprimeret, virum integerrimum simul et eruditissimum, cui Persius uni plus quam superioribus omnibus in unum collectis debet, illius judicii errorem dudum abjecisse confido, postquam et Osannus l. c. p. LXII sqq. complura docte contra illum monuit et nos tum in Prooem. lect. Gott. 1846 vel Isidori aetatem Scholia nostra excedere, tum in disp. de Scholiorum ad Juvenalem genere deteriore lectionibus aestivis a. 1849 praemissa tantum inter haec et Pseudo-Cornutiana ad Juvenalem interesse demonstravimus, ut omne illius conaminis fundamentum labefactatum sit. Ne quis autem ipsi quam nos tuemur Scholiorum aetati Barcinonensem satirarum recensionem aequiparet, quam a nescio quo Fl. Julii Herennii Sabini V. C. protectore domestico a. p. Chr. 402 institutam antiquissimi codices Montispessulanus et Romanus subscriptione sua testantur, hujus recensionis, etiam si maxime Scholiorum aetatem superet, ipse subscriptor fidem insigniter minuit fatendo se *sine antigrapho emendare temptasse;* ipsi denique quotquot exstant codices, si ab exiguo palimpsesti fragmento Vaticano discesseris, intra nonum vel decimum saeculum scripti sunt; quae quum ita sint, etiam nunc illud teneo, quod in Lectionibus Persianis Marb. 1842 editis professus vel inventis antiquissimis illis libris in Analectis de aetate et usu Scholiorum Persianorum denuo defendi, in constituenda Persii lectione principe loco Scholiorum atque his tacentibus demum quamvis bonorum codicum testimonia audienda esse. Quanquam ne horum quidem tantum ab illis discrimen exstat, ut sive quis nostras sive Jahnii rationes sequatur, de satiris satis emendate legendis desperandum sit; immo tanta horum testimoniorum praestantia tantusque in plurimis et gravissimis locis consensus est, ut quod iam ante hos viginti annos in Ephem. Schol. Darmst. 1833,

p. 317 quasi divinans prae me tuli, nunc planissime confirmatum videamus, quidquid ad Persii salutem faciendum restet, multo minus ad critici quam ad interpretis officium pertinere. Interpreti enim quum multae aliae difficultates, quae Persio cum ceteris suae aetatis scriptoribus et poëtis communes sunt, tum haec peculiaris objicitur, cujus haud scio an unum inter veteres Heraclitum Ephesium *τὸν σκοτεινὸν* appellatum ille aemulum habuerit (cf. Aristot. Rhetor. III. 5. 6, Theon. Progymn. 14 §. 18), ut passim ancipiti et obscura interpunctione laboret; in critica vero factitanda conjectariam opem vix unus alterque locus desiderat, in lectionum autem varietate, si quis sana et incorrupta via incedat, tam raro haerebit, ut quum ante hos duodecim annos ego Jahniusque suo uterque judicio verba poetae emendare aggressi essemus, licet a diversissimis principiis profecti instrumentisque prorsus aliis usi in plerisque ad easdem lectiones deferremur, nunc autem, postquam et Jahnio in editione minore mea et mihi Jahniana subsidia praesto fuerunt, oppido pauci et minuti loci restent, in quibus mihi ab illo dissentiendum visum sit. Horum igitur enumeratione huic praefationi finem imponam, ita tamen, ut, ne quis me commentorum meorum tenaciorem esse existimet, simul eos admisceam, in quibus nunc ipse Jahnio auctore ab iis, quae in Lectionibus Persianis proposueram, discessi.

Prol. 4 *Heliconiadas* Lect. III, p. 2, *Heliconidas* Jahn.; mihi poeta epicorum numeros dactylicos respexisse videtur. — V. 9 *picamque* et 12 *refulgeat* c. Jahnio; olim *picasque* et *refulserit.* — Sat. I. 6 *examenve* Lect. II, p. 8, *examenque* Jahn. — V. 8 *ah* c. Jahnio; olim *at.* — V. 9 *tunc,* non *tum,* propter sequentium interpunctionem dudum a me commendatam, ubi v. 11 *tunc* nostri epanalepsis est. — V. 14 *quod* retinui; Jahnius *quo*, quod manifesto correctori debetur; quanquam hunc excusat lectio v. 17 ab eo recepta *leges*, ubi cur ego *legens* servaverim, dixi Lect. II, p. 12. — V. 32 *circa* c. Jahnio; olim *circum.* — V. 66 *dirigat*, non *derigat*, cum Schol. et libris plurimis. — V. 74 *quem... dictaturam* Lect. II, p. 20; vestem dictatoriam *dictaturam* appellat etiam Plin. N. Hist. XVIII. 3 §. 20. —

V. 76 *Brisaei*, non *Brisei;* cf. Steph. Byz. p. 186. — V 81 *istuc* c. Vatic., *istud* Jahn. — V. 86 *doctas* retinui, ne *figurae* epitheto suo carerent; *doctus*, quod cum Scaligero Jahnius praetulit, post antecedentia languet. — V. 97 *praegrandi* c. Jahnio; olim *vegrandi*, antiqua varietate, quam tamen contra librorum consensum amplius non tueor. — V. 115 *Muci* c. eodem pro *Muti;* cf. Heusdii stud. crit. de Lucilio p. 215. — Sat. II. 14 *conditur* scripsi cum Jahnio, quamvis supparem auctoritate *ducitur* olim tuitus; at cf. Chaeremon ap. Stob. Serm. LXVIII. 22: *γυναῖκα θάπτειν κρεῖττόν ἐστιν ἢ γαμεῖν.* — V. 42 *grandes* Lect. II, p. 26, *pingues* Jahn.; at cf. *grandes rhombos patinasque* Hor. Sat. II. 2. 95, *grandes ollas* Juv. XIV. 171, magisque decet poetam variare epitheta quam eodem sensu duo usurpare; nam *pingues* sunt *crassae*, cf. Weichert poet. reliqu. p. 26. Contra *tucceta* pro *tucetis* libenter ascivi; cf. Hildebr. ad Appul. II. 7, ad Arnob. II. 42. — V. 45 *accersis* Lect. III, p. 10; *arcessis* Jahn.; cf. Wissowa Lect. Tacitin. spec. II, p. 11 sqq. — V. 47 *flammas* cum Jahnio, non *flamma* vel *flammis*. — V. 54 *excutias* Lect. II. p. 28; *excutiat* Jahn. minus poetice, praesertim quum *pectore laevo*, si *cor* proprie intelligatur, abundet. — V. 61 *terris* cum Jahnio; olim *terras*. — V. 62 *hos* Lect. III. 11; *hoc* Jahn.; nobis favet Kritz. ad Sallust. Jugurth. IV. 7. — V. 73 *animi* Lect. III, p. 12; *animo* Jahn.; genetivum tuebuntur etiam *verba animi* Juv. IV. 91. — Sat. III. 13 *quod* retinui; *sed* Jahnius argutius quam verius. — V. 29 *censoremve* Lect. III, p. 13; *censoremque* Jahn. — V. 34 *rursum* Lect. III, p. 14, *rursus* Jahn.; cf. Corte ad Lucan. I. 391. — V. 46 *dicere et insano* Lect. II, p. 33; *discere non sano* Jahnius blanda specie; sed declamandi ineptias ridet, non discendi pigritiam excusat poeta, nec laudes magistri ad memoriam potius quam ad actionem spectare poterant. — V. 56 *deduxit*, non *diduxit;* cf. Sat. V. 35 et Lect. II, p. 35. — V. 60 *in quo* libri fere omnes; *in quod* Jahn. c. editis; at cf. Lect. II, p. 36. Contra v. 67 *et* pro *aut* scribere c. Jahnio non dubitavi. — V. 68 *quam* Lect. II, p. 37; *qua* Jahn.; at ipsa regendi ars respicitur. — V. 78 *quod satis est sapio* equidem praetuli, *quod sapio satis est*

Jahnius; at nonne hoc etiam philosophus dicere poterat? — Sat. IV. 3 *o* Lect. II. p. 41; *hoc* Jahn. — V. 26 *milvus oberrat* Schol. librique optimi, alii *oberret;* Jahn. ex unius vestigiis *miluus errat.* — V. 31 *farratam ollam* etiam nunc tueor Statii exemplo Silv. I. 2. 146: *plauserunt limina cycni.* — V. 33 *frigas* pro *figas* quamvis optimorum testium consensu commendatum nec Jahnius in ordinem recepit, neque ego tantae hypallagae audaciam praestare sustinui; quae tamen in Analectis p. 14 sqq. de universo loco disputavi, haud muto, Jahniumque certe *hi mores* scribendo summam eorum probasse laetor. — Sat. V. 8 *Procnes* nos cum antiquissimis libris, *Prognes* Jahnius ut Juv. VI. 644; idem tamen *cycnum* ibid. 145, ut Lachmann. in Lucret. III. 7. — V. 13 *stloppo* Prisc. I. 10. 58, *scloppo* Jahnius, libros magis ut videtur quam suam persuasionem secutus. — V. 17 *dicas* Schol., *dicis* Jahn. contra quam ipse prius edidit, multoque certior conjunctivi ratio constat. — V. 19 *bullatis* multis defendi Lect. I, p. 32, quibus adde *crepantes adulationum bullas* Sidon. Apoll. Epist. I. 7; Jahn. *ampullatis,* quo caesuram perire dudum annotavi, nunc vel in ordinem recepit, Lachmannum testatus ad Lucret. p. 413; ego vero malos versus vel optimis poetis interdum excidisse nunquam negavi, bonos conjectando pessumdari licere etiam nunc pernego. — V. 26 *his* Lect. II, p. 48, *hic* Jahn. — V. 77 *vappa lippus* sine copula libenter cum Jahnio recepi; non item v. 117 *in* pro *sub pectore,* quo recondita malitia multo vividius describitur. — V. 138 *baro* pro *varo* haud gravate admisi; minus tutum v. 142 *ni* pro *nisi* visum est; v. 149 autem temperare mihi non potui, quin veteri meae conjecturae locum inter verba poetae darem, eo tantum temperamento adhibito, ut *avidos* in *avido* mutari facilius quam in *avidi* videretur; *nummos* vero, non *nummi* scribendum fuisse constanter defendo. *Peragere* enim esse *consumere*, nostrum *durchbringen*, manifesto ostendit Sat. VI. 22, postulatque contrarium sui praecedens *nutrieras;* sicut autem *nummos* quincunx nutrit, ita deunces eosdem peragere rectius quam ipsi ab illis peragi dicentur; utque per se veri absimile est *sudorem* epitheto carere, ita *avidus sudor* commodissime de-

clarabit mercatoris avaritiam, quae tamen tantum abest ut certum eventum habeat, ut haud raro majoris lucri cupidine eam pecuniam perdat, qua modico fenore collocata diu secure frui potuisset. — V. 159 *ast* plurimi, quod vel non sequente *tamen* suo jure poni poterat; hoc sequente nec hic nec II. 48 video cur languido *et* cedat. — V. 172 *accersar* pro *arcessat* libris, qui fere omnes primam certe personam offerunt, negare Jahnius non debebat: mox autem v. 174 *exieras nec nunc* pro *exieris* et *ne nunc* eidem cum Ladewigio et Scheibio eo facilius concedo, quo magis Horatii quoque editores in loco gemino Sat. II. 3. 262 vacillare video; cf. Philol. V, p. 133. — Sat. VI. 9 *cognoscite* pro *cognoscere* cum eodem recepi propter sequens *jubet*, quod imperativum respicit; ibidem vero v. 6 quod e codice Lugd. scripsi *senex* pro *senes*, superius jam tuitus sum, nec transpositionem hemistichiorum v. 37 et 41 pluribus commendare libet, quam quae in eandem sententiam jam Lect. II, p. 61 disputavi. Unum addo, potuisse sane etiam *haec cinere ulterior metuas; at tu meus heres* ab ipso Persio continuari, sed omissis tantum versibus 37—40, qui haud scio an posterius demum ad hunc locum accesserint; iidem tamen quum certissimam poetae manum prae se ferant, hunc ipsum statuendum est adjectis illis eum potius sententiarum ordinem exsistere voluisse, quem singularum nexu arguente restitui. — V. 61 *poscas* Lect. III, p. 33; *poscis* Jahn.; at colligit tantum Persius fieri posse ut alter ad talem impudentiam progrediatur. — V. 66 *repone* elegantius utique est quam *oppone*; item ut opinor v. 69 *coquatur* quam *coquetur*, quorum utrumque Jahnius ipse in superiore editione praetulerat; nec v. 79 *depunge* aut a libris aut a sensu adeo commendari arbitror, ut vel hac in voce Scholiorum auctoritatem Barcinonensi familiae posthabeam; reposui igitur *depinge*, quod nemo erit quin nunc ut alias pro *describe* dictum facile intelligat.

Scr. Gottingae d. II. Iun. a. MDCCCLIV.

A. PERSII FLACCI
SATIRARUM
LIBER.

PROLOGUS.

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε
Picamque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces;
Quod si dolosi spes refulgeat nummi,
Corvos poetas et poetridas picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget haec? — Min' tu istud ais? nemo hercule! —
Nemo? —
Vel duo, vel nemo. — Turpe et miserabile! — Quare?
Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Praetulerint? nugae! non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa

Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.
Nam Romae quis non —? ah si fas dicere! sed fas;
Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis,
Quum sapimus patruos; tunc tunc — ignoscite, nolo;
Quid faciam? sed sum petulanti splene — cachinno.
Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet;
Scilicet haec populo pexusque togaque recenti
Et natalicia tandem cum sardonyche albus
Sede legens celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello.
Hic neque more probo videas nec voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus *ohe!* —
Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
Innata est, rupto iecore, exierit caprificus? —
En pallor seniumque! O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —
At pulchrum est digito monstrari et dicier *hic est!*
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? — Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circa humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, ac tenero supplantat verba palato.
Assensere viri; nunc non cinis ille poetae
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae; nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae? — Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges; an erit qui velle recuset
Os populi meruisse, et cedro digna locutus
Linquere nec scombros metuentia carmina nec tus? —
Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci,

Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit —
Quando haec rara avis est — si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est;
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum et belle. Nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Atti
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et: *verum*, inquis, *amo: verum mihi dicite de me.*
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus protenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantae!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae!
Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues? Scit tendere versum
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno;
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos graece, nec ponere lucum
Artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
Et focus et porci et fumosa Palilia foeno,
Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor
Et tua aratra domum lictor tulit — euge poeta!
Est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas, unde istuc dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?

Nilne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter?*
Fur es, ait Pedio; Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur: *bellum hoc!* Hoc bellum? an, Romule, ceves?
Men' moveat quippe et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querella. —
Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis;*
Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin;*
Sic: *costam longo subduximus Appennino.*
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
Ut ramale vetus praegrandi subere coctum? —
Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
Euhion ingeminat; reparabilis adsonat echo?
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis,
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues. —
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant; sonat hic de nare canina
Littera. — Per me equidem sint omnia protinus alba;
Nil moror. Euge! omnes, omnes bene mirae eritis res.
Hoc iuvat? Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum?
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
Meiite! discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis;
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' muttire nefas? nec clam, nec cum scrobe, nusquam?
Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle:

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere *lusce*,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas;
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Calliroen do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos;
Funde merum genio. Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis;
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros
Tollere de templis et aperto vivere voto.
Mens bona, *fama*, *fides*, haec clare et ut audiat hospes;
Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: O si
Ebulliat patruus, praeclarum funus! et: O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor! —
Haec sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque et noctem flumine purgas?
Heus age, responde — minimum est quod scire laboro —
De Iove quid sentis? estne ut praeponere cures
Hunc — cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas,
Dic agedum Staio: *pro Iuppiter! o bone*, clamet,
Iuppiter! at sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque iubente
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
 Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes:
Hunc optet generum rex et regina; puellae
Hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota; negato,
Iuppiter, haec illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
Esto age; sed grandes patinae tuccetaque crassa
Adnuere his superos vetuere Iovemque morantur.
Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
Accersis fibra: *da fortunare Penates,*
Da pecus et gregibus fetum! quo, pessime, pacto,
Tot tibi quum in flammas iunicum omenta liquescant?
At tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: *iam crescit ager*, *iam crescit ovile*,
Iam dabitur, *iam*, *iam!* donec deceptus et exspes
Nequiquam: *fundo*, suspiret, *nummus in imo!*
 Si tibi creterras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes et pectore laevo
Excutias guttas, laetari praetrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies; nam fratres inter aenos
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,

Praecipui sunto sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvae in terris animae et coelestium inanes!
Quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,
Haec baccam conchae rasisse et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur; at vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallae lippa propago:
Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo.

SATIRA III.

Nempe haec assidue? iam clarum mane fenestras
Intrat et angustas extendit lumine rimas;
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? — *Siccas insana canicula messes*
Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est,
Unus ait comitum. — Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! nemon'? — Turgescit vitrea bilis:
Findor — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
Iam liber et positis bicolor membrana capillis
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
O miser inque dies ultra miser, hucine rerum

Venimus? at cur non potius teneroque columbo
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis et iratus mammae lallare recusas? —
An tali studeam calamo? — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens;
Contemnere! Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum —
Quid metuas? — cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, fibris increvit opimum
Pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto
Demersus summa rursum non bullit in unda.
Magne pater divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Et magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus,*
Imus praecipites, quam si sibi dicat et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
  Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere et insano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure; etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustae collo non fallier orcae;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis

Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta;
Et tibi quae Samios deduxit littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
Est aliquid quo tendis, et in quo dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, quum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurrite morbo!
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo
Quis datus, aut metae quam mollis flexus et unde;
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet; patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat; quem te deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re;
Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,
Menaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: Quod satis est sapio mihi; non ego curo
Esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite et figentes lumine terram,
Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia, *gigni*
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?—
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
Fœucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes!
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,

De maiore domo, modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogabit. —
Heus, bone, tu palles! — Nihil est. — Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis. —
At tu deterius palles; ne sis mihi tutor;
Iam pridem hunc sepeli: tu restas. — Perge, tacebo. —
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mefites;
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
Compositus lecto crassisque lutatus amomis
In portam rigidas calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
Nil calet hic. — Summosque pedes attinge manusque. —
Non frigent. — Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Temptemus fauces! tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, quum excussit membris timor albus aristas;
Nunc face supposita fervescit sanguis et ira
Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

SATIRA IV.

Rem populi tractas? — barbatum haec crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —
Quo fretus? dic o magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,

Fert animus calidae fecisse silentia turbae
Maiestate manus. Quid deinde loquere? *Quirites,*
Hoc, puta, *non iustum est*, *illud male*, *rectius illud.*
Scis etenim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae; rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio praefigere theta?
Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas!
Quae tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper et assiduo curata cuticula sole?
Exspecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc:
Dinomaches ego sum, suffla, *sum candidus* — esto;
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocima vernae.
  Ut nemo in sese temptat descendere, nemo,
Sed praecedenti spectatur mantica tergo!
Quaesieris: Nostin' Vettidi praedia? — Cuius? —
Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat. —
Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolae veterem metuens deradere limum
Ingemit: *hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
Caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
Pannosam faecem morientis sorbet aceti? —
At si unctus cesses et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat et acre
Despuat: *hi mores*, *penemque arcanaque lumbi*
Runcantem populo marcentes pandere vulvas!
Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto; sic novimus. Ilia subter
Caecum vulnus habes; sed lato balteus auro

Praetegit. Ut mavis, da verba et decipe nervos,
Si potes. — Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam? — Viso si palles, improbe, nummo,
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas:
Nequiquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es; tollat sua munera cerdo;
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA V.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —
Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi;
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togae sequeris iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quae dicas, mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris. —
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat: pulsa, dinoscere cautus,
Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.

His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra..
Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Quum blandi comites totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo;
Quumque iter ambiguum est et vitae nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu; tum fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes:
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies et ab uno sidere duci:
Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
Nescio quod, certe est quod me tibi temperat astrum.
  Mille hominum species et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini,
Hic satur irriguo mavult turgescere somno;
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In Venerem putris; sed quum lapidosa cheragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuvat impallescere chartis;
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures

Fruge Cleanthea: petite hinc puerique senesque
Finem animo certum miserisque viatica canis! —
Cras hoc fiet idem. — Cras fiet? — Quid? quasi magnum
Nempe diem donas! — Sed quum lux altera venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras et in axe secundo.
Libertate opus est, non hac, ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso,
Vappa lippus et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama: papae! Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est; adsigna, Marce, tabellas.
Haec mera libertas! hoc nobis pilea donant! —
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet ut volo vivere: non sum
Liberior Bruto? — Mendose colligis, inquit
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto:
Haec reliqua accipio; *licet* illud et *ut volo* tolle. —
Vindicta postquam meus a praetore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica vetavit? —
  Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia atque usum rapidae permittere vitae:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen: vetat hoc natura medendi:

Navem si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit, et veri speciem dinoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes?
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Haec mea sunt, *teneo*, quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
Sin tu, quum fueris nostrae paulo ante farinae,
Pelliculam veterem retines et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem,
Quae dederam supra, relego, funemque reduco:
Nil tibi concessit ratio; digitum exsere, peccas,
Et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
Haec miscere nefas; nec, quum sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli. —
Liber ego. — Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer et strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit, cessas nugator; servitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet; sed si intus et in iecore aegro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis. — Surge, inquit Avaritia, heia
Surge! — Negas; instat: Surge, inquit. — Non queo. —
Surge. —
Et quid agam? — Rogitas? en saperdam advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper ex sitiente camelo;
Verte aliquid; iura. — Sed Iuppiter audiet. — Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum

Contentus perages, si vivere cum Iove tendis! —
Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas:
Ocius ad navem! nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
Seductum moneat: Quo deinde, insane, ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae?
Tun' mare transilias? tibi torta cannabe fulto
Coena sit in transtro, Veientanumque rubellum
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba?
Quid petis? ut nummos, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avido sudore deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia! nostrum est
Quod vivis; cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti! fugit hora; hoc quod loquor inde est. —
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo.
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, quum obstiteris semel instantique negaris
Parere imperio, *rupi iam vincula*, dicas;
Nam et luctata canis nodum abripit; ast tamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. —
Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor — crudum Chaerestratus unguem
Adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscenum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto? —
Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen' plorabit, Dave, relicta? —
Nugaris; solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses!
Nunc ferus et violens; at si vocet, *haud mora*, dicas. —
Quidnam igitur faciam? nec nunc, quum accersar et ultro
Supplicet, accedam? — Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc. — Hic, hic, quem quaerimus, hic est,
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem

Cretata ambitio? vigila et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes; quid pulchrius? At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
Tum nigri lemures ovoque pericula rupto,
Tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris alli.
  Dixeris haec inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens,
Et centum Graecos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse latinae,
Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregius lusisse senex. Mihi nunc Ligus ora
Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli et multa litus se valle receptat.
Lunai portum, est operae, cognoscite, cives!
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi et quid praeparet auster
Infelix pecori, securus et angulus ille
Vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius: geminos, horoscope, varo

Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinae piper; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenues sollers turdarum nosse salivas.
Messe tenus propria vive et granaria, fas est,
Emole; quid metuis? occa, et seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio; iacet ipse in litore et una
Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae: nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. — Sed coenam funeris heres
Negliget, iratus quod rem curtaveris; urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus. —
Haec cinere ulterior metuas? — Et Bestius urget
Doctores Graios: *Ita fit, postquam sapere urbi*
Cum pipere et palmis venit, nostrum hoc maris expers;
Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.
Tune bona incolumis minuas? — At tu, meus heres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi:
O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
Essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
Egregie gestas induco; quis vetat? aude.
Vae, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior; an prohibes? dic clare! *Non adeo*, inquis,
Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres. —

Progenies terrae? — Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen; adde etiam unum,
Unum etiam: terrae est iam filius, et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut ille
Pingitur; an renuis? vin' tu gaudere relictis?
Deest aliquid summae: minui mihi; sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam
Legarat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fenoris accedat merces; hinc exime sumptus! —
Quid reliquum est? — Reliquum? nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules! mihi festa luce coquatur
Urtica et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare atque excute sollers
Omne latus mundi, nec sit praestantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta;
Rem duplica. — Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam: depinge, ubi sistam. —
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

ONOMASTICUM PERSIANUM.


U.C. BERKELEY LIBRARIES
C005393697